SPECIMEN HISTORICUM

EXHIBENS

SCRIPTORES GRAECOS DE REBUS PERSICIS ACHAEME-

NIDARUM MONUMENTIS COLLATOS.

SPECIMEN HISTORICUM

EXHIBENS

SCRIPTORES GRAECOS DE REBUS PERSICIS ACHAEMENIDARUM MONUMENTIS COLLATOS,

Ex Typographeo H. R. de Breuk.

SPECIMEN HISTORICUM

EXHIBENS

SCRIPTORES GRAECOS DE REBUS PERSICIS ACHAEMENIDARUM MONUMENTIS COLLATOS.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

SIMONIS VISSERING,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET JUR. ROM. ET HOD. DOCT.
ET IN FACULT. JUR. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTET

JOHANNES HENRICUS CASPARUS KERN,

EX PAGO POERWOREDJO INDO-BATAVUS.

DIE XII OCTOBRIS A. MDCCCLV, HORA III.

IN AUDITORIO MAIORI.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD JAC^M. HAZENBERG, CORNELII FIL^M.

BIBLIOPOLAM.

Parentibus Optimis,

Carissimis.

PRAEFATIO.

Mihi, quum in eo sum, ut universitati Lugduno-Batavae valedicam, optata est opportunitas, qua praeceptoribus pro beneficiis palam gratiam persolvam.

Primo loco ad te me converto, Clarissime RUTGERS, Promotor Aestimatissime, cujus in frequenti consuetudine exquisitam eruditionem admirari, humanitatem adamare didici. Tu mihi semper prudens ac benignus eras dux sermonem Sanscriticum discenti Indicasque colenti literas, et si aliquando ad id genus studiorum promovendum aliquid tuae dignum institutionis proferam, id tibi soli me debere semper libentissime profitebor. Mittam, quae nuperrime in me hanc disquisitionem conscribentem contulisti beneficia, quum per omne, quod in hac degebam Academia tempus numquam mihi defueris. Ex imo igitur pectore, vir Aestimatissime et Carissime gratias accipe discipuli, qui se aliquando ostensurum sperat, te non indigno, non certe ingrato perdidisse operam.

Vix minus tibi, Clarissime DE VRIES, me debere referre oportet et juvat, quippe qui in studiis Germanicis rectam mihi monstrans viam, amorem meum erga patriam gentemque nostram Thiudiscam auxeris. Prae ceteris autem beneficiis, gratum animum tibi refero pro benevolentia tua ac familiaritate, qua diu cum summo meo usus sum emolumento. Vivas diu felix, vir Dilectissime, tu cum tuis!

Id cupio ac spero, non tuae modo gratia, verum patriarum etiam literarum, quibus tantopere adjuvas quasque illustras, nec non juventutis Belgicae causa, quam vero erga patriam amore imbuere soles.

Etiam te compello, vir Clarissime COBET, cujus egregia institutione me usum esse semper gloriabor. Tu omnes tuos discipulos ingenium Graecum non tam stupere et temere laudare, quam intelligere et admirari doces, iisque tam eloquenter, tam diserte viam monstras, quam ingressi philologiae studio prodesse poterunt. Mihi quoque te audiisse contigit, me quoque solita tua humanitate tecum devinxisti et proinde ac ceteros optantem fecisti, ut per multos annos tu, vir Eximie, juventutem nostratem saluberrima tua doctrina adjuvare pergas, Academiae dum eris decori, literis Graecis praesidio.

Vos quoque, viri Clarissimi BAKE, STUFFKEN et DOZY, et ceteri, quos hac in Academia habui praeceptores, gratias accipite meas.

Vobis tandem, amici commilitonesque, valedico. Vos mei memores futuros confido, prouti me vestrum numquam obliturum scio.

INTROITUS.

Paucis expedire libitum est, quo consilio quaque ratione hancce commentationem scripserimus. Quum jam multi mutuam inter scriptores Graecos, de rebus Persicis agentes, comparationem instituerunt, nullus tamen, quoad scio, post reperta Achaemenidarum monumenta, continua oratione, testimonia scriptorum Graecorum cum testimonio inscriptionum Persicarum pensitare aggressus est. Idcirco mihi non abs re est visum, ut inquirerem, quos fructus historiae scientia esset perceptura ex comparatis testimoniis Persicis atque externis, non obiter inter varios consensum aut dissensionem referendo, sicuti ex rei natura ii fecerunt, qui sibi interpretationem grammaticam Inscriptionum proposuere, neque strictim ac leviter ex Inscriptionibus petendo veluti fecerunt complures, qui sermonis Persarum veteris ignari, ea tamen attingunt, quae ad suum propositum facere ipsis videntur.

Quo vero modo nos documentis Persicis usi simus, id lectoris judicio relinquere decet. At, ne quis exspectet,

sese copiosam inventurum Inscriptiorum interpretationem, admonendum, specimen nostrum pertinere non ad genus quaestionum grammaticarum, sed ad historiam critice tractandam. Si igitur nota, quod ad interpretationem grammaticam attinet, repeteremus, chartam perderemus; sin vero difficultas quadam inerit, quam maxime diligenter interpretationem nostram defendemus, aut eam prorsus esse incertam, indicabimus.

Quanti autem sit momenti historia imperii Persici in complexu rerum humanarum, unicuique historiae non incurioso notum; inutile igitur inopportunumque esset, si veluti apud complures in usu est, argumentum commentationis laudare et extollere eniteremur. Omnes vero consentientes me habiturum puto, quum contendo Persas ex populis orbis antiqui esse celeberrimis et quorum historia accurate tractetur, dignissimis. Attamen optime scio, plura, quin pleraque in hac inesse dissertatione, quae nondum ad liquidum sunt perducta, saepius coactus fui dubitantis vocabulum *fortasse* caute dicere, ubi alius aliquid certi sibi repperisse visus erit; saepius me notissima quaedam attingere oportuit. In universo haec Gellii verba in meam rem vertam: „Ab his igitur, si cui forte nonnunquam tempus voluptasque erit, lucubratiunculas istas cognoscere, petitum impetratumque volumus, ut in legendo, quae pridem scierint, non aspernentur quasi nota invulgataque: (nam et quid tam remotum in literis est, quin id tamen complusculi sciant? et satis hoc blandum est, non esse haec neque in scholis decantata, neque in commentariis protrita)."

Ordinem in opusculo nostro hunc sequemur, ut res Persicas a fine inde imperii Medici perductas invenias usque ad regnum Artaxerxis tertii, in quo subsistere nobis visum est, quoniam nullum post illum monumentum,

in vetere sermone Persico conscriptum exstat. Additae sunt, corollarii instar annotationes quaedam, apud varios sparsae auctores de moribus, religione, lingua Persarum; ultimum denique caput quasi repetitionem continebit eorum, quae in prioribus sunt disputata. Apud singulos reges Persarum, quid quaque de re diversi tradant, diligenter componemus, atque ita quidem, ut cuivis data sit inter legendum facultas judicandi, quid de quaque re sentiat.

Eos potissimum ex scriptoribus Graecis tractandos elegimus, ex quibus tamquam fontibus alii sua hausere, Herodotum et Ctesiam. Deinceps Xenophontem audivimus, et eos, qui quamquam rebus, quas narrant, ipsi non interfuerunt, antiquiorum tamen usi sunt scriptis, nobis non amplius exstantibus. In his sunt Diodorus Siculus, Plutarchus, Strabo, et epitomator Romanus, Justinus, qui etiamsi Latine scripsit, ex Graecorum scriptis deprompta tradit. Herodotus autem atque Ctesias, simul cum Achaemenidarum monumentis, fundamenta totius sunt indagationis, quum ceteri illustrandi magis causa audiuntur. Aliis testimoniis, uti scriptorum Judaicorum, monumentorum Sassanidarum, historicorum et poetarum Persarum medii aevi, non usus sum, utrum cum detrimento necne, harum rerum periti judicent.

Subjecimus tabellam, qua indicatur diversitas in literarum Persicarum translatione apud Lassen, Rawlinson et in hoc opusculo.

L.	â	i, u.
R.	a, in initio, á in medio et fine	i, u, post vocal. 'u.
	a aut â pro re nata,	i, u.
L.	k, q,	kh, g, gh, χ.
R.	k, kh, (kha),	k'h, g, gh, m'.
	k, k' (k'ŭ),	kh, g, g', m'.

L.	k′,	k′h, g′.
R.	ch,	t‘, j.
	k′,	d‘, g˘.
L.	t,	ϑ, d, dh, d′h.
R.	t,	th, d, dh, t’h.
	t,	th, d, d’, t’.
L.	p, f, b.	
R.	p, f, b.	
	p, f, b.	
L.	m, m‘, n.	
R.	m, m‘, n, n’.	
	m̍, m‘, n, n’.	
L.	j, r, r‘, v,	w.
R.	y, r, r’, v, ante conson. vă,	w.
	j, r, r’, v‘, ante conson. v‘ĭ,	v.
L.	ç, s.	
R.	s, sh.	
	s, sh.	
L.	z, z′, h, thr, rp.	
R.	z, jh, h, tř, q, n̂.	
	z, g′, h, thř, rp̆, n̈.	

CAPUT I.

REGNI PERSICI INITIUM, CYRO REGE.

Quum in introitu propositum nostrum ostendimus, rationemque qua nobis argumentum tractandum videatur, indicavimus, transeundi ad expositionem locus est eorum, quae apud scriptores de rebus Persicis leguntur; et ita exponere nobis cordi erit, ut quisque ante dijudicandi facultatem sit habiturus, quam nostrum judicium simus elocuti.

Non inutile erit magnam inter Herodotum Ctesiamque discrepantiam animadvertere in historia imperii Medici, quamvis argumento hujus commentarii ea sit aliena. Eam autem discrepantiam non tam explicare, quam indicare volumus, et hanc quidem ob causam, ut pateat, quanto majore spatio duo illi auctores inter sese distent in referendis rebus, aetate mythica gestis (mythicum enim regni Medici totum tempus nuncupare vere licet), quam in temporibus recentioribus. Non operae pretium est in re tam obscura studere sententia conciliare, quarum alteram ex excerpto tantum cognovimus Diodori Siculi in-

L. II, c. 32. Etsi hoc loco Diodori Herodotus statuisse dicitur, primum regem Medorum post eversam Assyriorum dominationem fuisse Cyaxaren, ex ipso tamen Herodoto scimus et ex verbis sequentibus in Diodoro colligimus, primum illum regem non fuisse Cyaxaren, verum Deiocen. Sequitur sententia Ctesiae l. c., sed, quoniam diutius in his morari abs re est, curiosi inspiciant, quae de regibus Medorum temporumque ratione disputet C. Mullerus in Ctes. fragm. pag. 43 sqq. Edit. Didot. In hoc uno Ctesias facit cum Herodoto, Astyagen, ultimum Medorum regem, a Cyro Persa fuisse oppressum, eoque victo, regnum Medorum transiisse ad Persas. A tempore autem, quo Cyrus Magnus exstitit, incipit quoque historia regni Persici. Abhinc initium sumit excerptum Photianum ex Ctesia, quod continua oratione pergit usque ad finem librorum Ctesiae de rebus Persicis, igitur a libro VII ad librum XXIII. Excerptum Photianum Mullerus recepit in editionem suam Ctesiae pag. 45 sqq.

De Cyro Ctesiam loquentem audiamus ex Excerpto § 2 sqq.: Astyages, sive Astyigas ex ratione scribendi Ctesiana, a Cyro, cui nullo necessitudinis vinculo erat junctus, victus, et profugus, se abscondidit, sed, quum Cyrus filiam ejus Amytin, atque generum Spitaman, eorumque liberos per tormenta interrogari juberet de latebra patris, sese ipse Persis tradidit, qui eum Oebara auctore in compedes conjecere. Cyrus autem eum liberavit, paterno coluit honore, postea etiam ejus filiam Amytin illam uxorem duxit. Deinceps Cyrus bellum gerit cum Bactrianis, qui diu aequo Marte cum eo pugnantes, se in ditionem dedunt, ubi audiunt, quae intersit necessitudo Cyro cum Astyage. Paullo porro in § 5 mors narratur Astyagis, quae hunc ad modum accidit. Amyti cupiente, Cyrus Petesacan eunuchum misit, qui Astyagen

ex Barcaniis adduceret. Petesacas ab Oebara instigatus, Astyagem in solitudine reliquit, atque fame sitique interemit. Hujus autem facinoris Amytis in somnio certior facta, Petesacan a Cyro sibi expoposcit, traditumque cruci affixit. Oebaras concilii sui poenam metuens, inedia sibi ipse mortem conscivit, Cyro frustra ei pollicito, se numquam eum injuria affici passurum. Astyages splendide sepultus est.

Ecce narrationem, quam apud Photium invenimus, satis inconcinnam, quamquam brevem; de industria nihil de meo interposui, quamvis hoc facile foret factu, e. g., apud bellum cum Bactrianis, cujus causa non redditur verum ex contextu intelligimus causam belli fuisse Bactrianorum erga Astyagen regem fidem. Ad hoc quoque referenda puto verba Justini in L. I, c. 7. „sed civitates, quae Medorum tributariae fuerant, mutato imperio, etiam conditionem suam mutatam arbitrantes, a Cyro defecerunt: quae res multorum bellorum Cyro causa et origo fuit." Minus adhuc intelligeremus, quo pacto Astyages in Barcaniis versaretur, nisi idem Justinus, rem perspicuam reddidisset. Is enim nobis est auctor, Astyagem a Cyro esse Hyrcaniis praefectum. Si quis forte addubitabit, num eadem sit forma Barcanii atque Hyrcanii, eum attentum esse volo, quod forma vocabuli Persica est Varkâna, quod sane ad amussim convenit cum Ctesiae Barcaniis, pronuntiatio vero *Hyrcanii* ori Graeco facilior fuisse videtur. Eadem enim ratione Vishtâspa, Vidarna Graece pronuntiantur Ὑστάσπης, Ὑδάρνης. Quae ad h. l. annotat Mullerus, Barcanios scilicet esse finitimos Hyrcaniis nullo nituntur argumento, nisi unius Stephani Byzantini testimonio: Βαρκάνιοι ἔθνος τοῖς Ὑρκανίοις ὅμορον. De diversa pronuntiatione unius ejusdemque nominis alterum porro inveniemus exemplum apud populum, qui vulgo dicuntur Susii.

Tantum apud Photium de Astyage; quae autem Herodotus narret, omnes pueri didicimus, unde ea hîc repetere non opus est. Secundum Herodotum, L. I, 130 Astyages, a Cyro bene habitus, apud hunc manet, donec vita functus est. Inscius igitur Herodotus praefecturae super Hyrcaniis Astyagi concessae, nescius quoque necis per Petesacan. Alia de Astyage memorant Xenophon et Justinus, ille quidem sic, ut philosophum ubique et politicum agnoscatis, qui tantum ex copia rerum ac traditionum sumit, quantum proposito suo idoneum videatur, Justinus vero traditionem sequitur, ex Herodotea Ctesianaque quasi mixtam. Quasi mixtam, inquam, quia mihi non persuadere possum, Justinum ipsum (vel si mavis Trogum Pompejum) duas illas narrationes in unam congessisse, suspicor potius eum in historia conscribenda alium ducem esse secutum, Dinonem aliumve. Ab altera enim parte Justinus convenit cum Herodoto, quod attinet ad originem Cyri, ad partes, quas egit Harpagus; ab altera cum Ctesia, quum memorat Soebaren, Ctesianum Oebaran, et Astyagen in Hyrcanis degentem. Parva tamen discrimina insunt, quae apud ipsum vide Justinum, L. I, c. 6., unde concludo, ejus narrationem non fluxisse ex Herodoto et Ctesia. Ex Xenophonte locum afferam, qui omnem inter traditiones de Cyro et Astyage differentiam quodammodo solvere, vel potius explicare poterit. Locus est in Cyropaedia, I, 2, 1, ubi haec φῦναι δὲ ὁ Κῦρος λέγεται καὶ ᾄδεται ἔτι καὶ νῦν ὑπὸ τῶν βαρβάρων εἶδος μὲν κάλλιστος, ψυχὴν δὲ φιλανθρωποτατος cett. Ex hoc loco apparet, Cyrum a posteris decantatum esse tamquam exemplum herois et regis perfectum. Cf. Athenaei L. XIV, p. 633, d. Illius fama viri, qui virtute ingenioque suo nisus, dominationem Asiae a Medis transtulit ad Persas, pridem pauci aestimatos, „vires acqui-

rebat eundo," sed sensim quoque falsa cum veris miscebat. Sic explicandum est, cur de viro, qui aetate vixerat non tam remota ab ea, qua ejus vixerunt biographi, tantae tamque variae in ore omnium versarentur fabulae. Deinde hoc tenendum est, nomen Cyrum esse notissimum in Indorum fabulis. Et Indi autem et Persae pertinent ad tribum populorum Indo-Germanicorum, quae dicitur Arica. Haud igitur mirum esset, si alter Cyrus fuisset in heroum numero apud Persas ductus; adeoque Cyro, regni Persici conditori, ex traditione populari paullatim adhaerescebant multa, quae fabula Cyro prisco tribuebat. Hinc omnes, quas de Cyro habemus traditiones, fabulosae sunt, vera mixta cum falsis, et hac de causa nequicquam erit quaerere, quis scriptor qua in re proxime ad veritatem accesserit. Ex fabulis historiam construere velle, nimis periculo est obnoxium, ac si ullum habent pretium traditiones illae, tum sane illud est, ut delectamur poetico colore, quo universae illae narrationes sunt circumfusae et obfuscatae.

Idem quod ad originem et primos Cyri regni annos valet ad reliqua ejus facinora. In his primum locum occupat bellum, quod Persa cum Croeso, Lydorum rege gessit de causis, ab alio aliter traditis. Photius nullam reddit belli causam; secundum Herodotum vero in L. I, c. 73 sqq. belli causa erat necessitudo inter Croesum atque Astyagen, et inde studium Lydi, affinem suum ulciscendi. Xenophon bellum a Cyro Croeso illatum dicit propter societatem Croesi cum Assyriis, quam societatem cum Babyloniis iniisse item Herodotus scribit in L. I. c. 77. Idem quoque Justinus statuit; idemque Babylonem a Persis captam narrat ante bellum cum Croeso initum, in l. I. c. 7. Causum vero, quam Herodotus statuit, non propriam fuisse, quivis statim intelliget, et ipse alio loco

in L. I, c. 46 rem acu tetigisse mihi videtur, dicens, Croesum cum invidia incrementa contemplatum rerum Persicarum, oracula consuluisse, quo potissimum modo Persarum potentiam coerceret et frangeret. Haec proprie erat causa, cur inter Cyrum et Croesum bellum exarserit, haec vera erat ratio, ex qua Croesus foedus icit cum regibus vicinis, opibus validis, cum Amasi ac Labyneto. In universo autem super Croeso quam maxime — nihil cum malitia a nobis dictum videatur — diffidendum est Herodoto, quippe qui in Croeso nimis cupide opportunitatem arripuerit, ut speculum ante oculos poneret inconstantis in vita humana fortunae. Herodotus, quum fere semper ipse credidit et credita ea cupit quae notam divinae habebant providentiae mortalibus felicioribus invidentis et inde δεισιδαιμονίᾳ suae arridebant, in multos incidit errores. Errat, ut unum ex pluribus, et notum afferam exemplum, Herodotus in ejusdem Croesi historia, quum ratione confusa temporum, Croesum cum Solone de fortuna humana colloquentem introducit. Incautius quoque Herodotus narratiunculam recepit de Croeso jussu Cyri rogo imposito; jure igitur Ctesias eum in hac re reprehendit, quia corpus humanum in ignem injicere contra fas sit Persarum. Attamen quae ipse Ctesias tradit de Sardibus expugnatis, de Croeso quum in templum fugisset Apollinis, vincto et miraculose soluto, nequaquam majore fide digna sunt Quod vero certum concludere possumus, id est: inter Croesum regem Lydorum qui totam Asiam intra Halyn fluvium sibi subegerat, et Cyrum, qui totam Medorum dominationem sibi adsciverat, inter duos illos potentes aemulos, bellum exortum esse, quo decerneretur de summa rerum. Omnes consentiunt victorem fuisse Persam, et Lydum postea semper honesto fuisse loco apud regem Persarum; secundum Ctesiam

donatus est Croesus urbis Barenae, Ecbatanis vicinae, praefectura. Croesum Cyrus benigne affecit non admonitus miraculis, ut Herodotus Ctesiasque perhibent, sed clementia sua usus.

Lydis debellatis Cyrum Babylonem oppugnasse Herodotus atque Xenophon scriptum reliquere. Contra Justinus statuit Babylonem ante captam fuisse, quam Cyrus adversus Croesum exercitum duxerit. Prior ratio verisimilior. Nam, ut mihi quidem videtur, Cyrus diuturnam Babylonis oppugnationem fore ratus, prudentius censuit Lydum, Babyloniorum socium opibus maxime florentem subigere, priusquam urbem obsideret, quam strenue et diu se defensuram probabile erat. Interea enim Croesus Babyloniis auxilio venire potuit, aut copias suas augere. Igitur Cyrus satius duxit prius hostem aggredi firmiorem, quo fugato oppressoque, debiliores sese hostes ultro aut cum labore non admodum magno, dederent.

De circumcessa Babylone et capta, teste caremus Ctesia, qui § 6 (post narratam Astyagis mortem) bellum describit a Cyro cum Derbicibus gesto; fortasse vero Photius partem omisit historiae Ctesianae, quae huc spectaret, verum non hoc omisit loco sed ante bellum cum Croeso, quod si ita fuerit, Ctesias eandem fontem secutus erit, quem Justinus. Exstant tamen fragmenta ex Ctesia apud diversos ex libro X, ubi nonnullarum fit mentio gentium, Dyrbaeorum et Choramniorum; hinc Mullerus pag. 61 ad § 6 colligit in eodem libro X conscripta fuisse bella, quae Cyrus cum gentibus gessit Asiae interioris. Num in eodem libro bellum Babylonicum narrabatur?

Qua autem ratione Cyrus Babylonem ceperit, ab Herodoto et Xenophonte eundem ferme ad modum narratur; noctu urbs dum voluptatibus et festis indulget, a Persis

capitur, Babyloniis nimis securis; ultimus Babylonis rex de sententia Herodoti fuit Labynetus. Ex Inscriptione Behistunensi in Col. I vs. 78, 79, textus Rawlinsoniani colligi potest, regem illum vocatum esse Nabunita. Idem nomen fuisse statim vides, literae enim *n* et *l* facile possunt permutari; fieri quoque potest, ut nomen apud Herodotum corruptum sit; inter utrumque optionem cuique relinquo.

Babylone capta Cyrus secundum Herodotum arma Massagetis intulit, quo exitum vitae inveniret. Non nesciebat pius auctor, multa diversa, ut ipse testatur, tradi de Cyri morte, sed referebat, quae maxime verisimilis sibi videretur narratio; *πολλῶν λόγων λεγομένων ὅδε μοι ὁ πιθανώτατος εἴρηται.* Her. L. I, c. 214. Hac de causa quidem illi fide dignissima erat, opinor, quia omnium aptissime mortales doceat, ab diis aliquando tyrannos puniri insatiabiles; haud enim alias assequi possum, quare ista tragoedia tantam mereretur fidem.

At apud Ctesiam res multo simplicius, inde multo probabilius procedit. Nam si ei credimus, Cyrus in praelio contra Derbices, qui cum Indis inierunt societatem, vulneratus, ex vulnera aliquot dies post mortem obiit. Derbices vero profligati et Cyrus victor moritur. Quum autem in eo esset, ut moriretur, ultimam curam in regni successionem habuit. Tanuoxarcen igitur filium, natu minorem Bactris, Choramniis, Parthis et Carmaniis dominum praefecit, Cambysen vero majorem successorem reliqui imperii reliquit Persici. Cyrus, filio utrique simul cum regionibus bonisque consilia relinquens paterna, ut erga sese invicem concordes benevolique essent, atque matri dicto audientes, diem obiit supremum, tertio postquam accepit vulnus die quum regnasset per annos triginta.

Vides, quantum super Cyri morte Ctesias Herodotus

que inter sese distent. Ctesias autem quasi medium tenet inter Herodotum et Xenophontem, quum Cyrus de ejus sententia, neque ordinaria morte, sicuti scribit Xenophon, neque ab hostibus victoribus caesus sicuti Herodoto potius videtur, vitam finiverit; qua re Ctesianam narrationem maxime ad veritatem accedere, arbitror. Unde Herodotus sua hauserit, nescimus, sed conjicere licet, tragoediam istam originem duxisse ab odio erga oppressorem barbarum quo inflammati erant populi subacti, imprimis Jones Asiae. Ctesiae Herodotique inter sese et cum aliorum testimoniis comparatis, nobis restat ea conferre cum testimonio fidissimo Inscriptionum Persicarum. Malum factum, quod ex iis nihil exstat, quod historiam imperii Persici conditoris illustrare, ne quidem a Graecis super illo relata confirmare possit. Exstat quidem inter Inscriptionum copiam una, apud Lassen notata per literam M. quae ad nostram rem facere videtur. Epigramma est in monumento sepulcrali ad locum, qui hodie dicitur Murghâb, quo loco a compluribus situs fuisse antiquarum habetur Pasargadarum. Eam vero opinionem Lassen, qua solet sagacitate et subtilitate judicii refellit in Z. f. d. K. d. M, vol. VI. pag. 155 sqq. Sed, etiamsi hoc mittamus, alia eaque major nobis offendit difficultas in argumento epigrammatis, quod diximus. Verba enim exhibet haec: *Adam. K'urush. Khshâjathija. Hakhâmanishija.* Latine: *Ego* (*sum*) *Cyrus*, *rex*, *Achaemenida.*

Primore aspectu quemquam, quae his verbis insit difficultas, latebit; sin vero hancce comparabis cum ceteris simplicior Inscriptio videbitur, quam quae tam illustris, quam Cyrus fuit regis, fuerit. Titulus enim, qui omnes reges ornat Persarum, est: *rex magnus, rex regum* [1]).

[1]) Graecorum consuetudo dicendi *Βασιλεύς*, Articulo omisso, orta est ex *Βασιλεὺς ὁ μέγας*, translato scilicet ex Per-

Quo igitur pacto fieri potest, ut rex omnium nobilissimus eo careret titulo? Si deinde mente tenemus, ex testimonio geographorum atque historicorum veterum situm Pasargadarum non convenire cum situ loci Murghâb, — quod satis demonstrasse Lassen mihi videtur — monumentum M Cyro Magno potius abjudicabimus. Cuinam tunc igitur tribuendum est epigramma? Admodum arridet sententia Clarissimi Lassen, monumentum illud esse Cyri Minoris, opinantis, cui mater Parysatis sepulcrum aedificandum curaverit. Non obstat huic sententiae vocabulum: *Khshâjathija* quod vertimus per *regem* quoniam vocabulum Persicum non necessario significat *regem;* primitiva vis vocabuli est *regius*, unde deinde *princeps*, *rex*. Omnino conferendae sunt in Z. f. d. K. d. M. vol. VI, pag. 152—159. Nomen Cyri praeter l. c., aliquoties occurrit in Inscriptione Behustinensi, sed ibi nihil de eo edocemur nisi quod fuerit pater Cambysis et Smerdis. Inspice textus Rawlinson. Col. I, 28, 39, 53. III, 25. IV, 9, 27. B, 6. H, 6.

Attamen de Cyri rebus gestis ex Inscriptionibus Persicis nihil comperimus; Graeci soli auctores testimonium, idque alius aliud, praestant et in celeberrimi Persae historiam tot congerunt fabulas, ut quid de singulis tenendum habeamus, dubii haereamus. Quae autem ex sparse relatis apud diversos agnoscere nobis videamur, breviter apponemus.

Cyrus, Persice K'urush, ex genere Achaemenidarum, Persarum omnium nobilissimo ortus, filius regis vel praefecti Persidis, quae sub ditione erat Medorum, quodam

---

sico, *khshâjathija vazarka*. Titulus *rex regum* etiam invenis in ficto Onesicriti epigrammate apud Strabonem XV, 3, his verbis: ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος, βασιλεὺς βασιλήων.

de causa regem Medorum Astyagen aggressus est eoque debellato, summam rerum, quae adhuc penes Medos fuit ad populares suos transtulit. Quum autem Cyrus rerum potitus esset, ab altera parte populos a se defectos, ab altera regiones adjacentes et liberas in suam potestatem redegit. In his erant Medi, Lydi, Graeci Asiae, Assyrii et Babylonii, si hi duo non ad idem pertineant imperium, ut profecto apud Herodotum. Praeter illos multi alii enumerantur populi in Xenophonto Cyrop. I, 1, 4. In ultima vero vitae parte Cyrum bellasse credibile est cum gentibus Scythicis in Asia interiore. Medi aequo jure usi sunt ac Persae, unde prompta est conclusio, eos non tam oppressos fuisse violenter, quam principatum super Persis, gente cognata, amisisse. Magna fortasse pars Medorum partibus Cyri favebat juvenis qui praeclaro quodam facinore gloriam acquisierat; huc, opinor, spectant ea, quae de Harpago ab Herodoto perhibentur. Quamnam autem dignitatem Cyrus ante bellum cum Astyage obtineret, perquam difficile est dijudicatu. Hoc tamen certum est, eum fuisse ex stirpe regia Achaemenidarum, unde plures Persis reges exstiterunt. Crediderim Cyrum fuisse praefectum vel potius regem Persarum, Medis tributarium. Etenim ille non primus fuit rex ex stirpe sua, quod etsi Herodoti auctoritatem mittamus, apparebit ex Inscriptionis Behistunensis Col. I, ab initio usque ad vs. 12.

Hoc enim loco stemma legitur Darii Hystaspis, atque additur Darium ipsum ex sua stirpe *nonum* fuisse regem. Enumerantur quoque l. c. majores Darii, qui retro numeranti hoc sequuntur ordine: Hystaspes (V'ishtâspa), Arsames (Arshâma), Ariaramnes (Arijâramna), Teïspes (K'ishpish), Achaemenes (Hakhâmanish), quinque igitur numero. Inde colligit Benfey in libro, qui inscribitur *die Persischen Keilinschriften*, pag. 7, reliquos tres ex

Achaemenidis reges fuisse Cambysem, Cyri patrem, ipsum Cyrum ejusque filium Cambysem [1]). Viri autem insignis conclusio falsa est et diluitur, si consideras, majores illos Darii, quinque numero non omnes fuisse reges. Hystaspes enim numero regum est eximendus, et secundum Inscriptionum, et secundum Herodoti testimonium. Videas Herod. I, c. 209. III, c. 70. In Inscriptione P. apud Lassen, vocabulum *nâma*, (nomine) Hystaspi appositum indicat Hystaspem non fuisse regem. Idem ex eadem ratione compertum habemus de Arsame, ex eadem Inscriptione P. Hystaspe autem Arsameque exceptis numerum octo non complent reliqui, a clarissimo Berfey enumerati. Nescimus igitur, quinam ex genere Achaemenidarum in Persis regnarint, ante Darium regem, praeter Cyrum ac Cambysem. Si Xenophonti credimus tertius accedit Cambyses, Cyri pater Cyr. I, 2, 1, sed inter omnia hoc constat, conditorem regni Persi ci non inferiore natum fuisse loco, ut praecunte Justino, recentiores nonnulli, in his Bähr, existimavere. De stemmate Darii quum in ejus vita denuo sermo erit, hoc loco redeamus ad expositionem vitae Cyri, qualem ex diversorum testimoniis eam fuisse conjectamus.

Cyrus, quum in Persis Medisque rerum esset potitus, atque auctoritatem et dignitatem praecipue apud Medos sibi conquirere studeret, vinculo necessitudinis sese adjunxit stirpi Medorum regiae. Inde enim explicari potest,

---

[1]) Locum citatum perspicuitatis gratia infra posui. „Da Darius nur 5 Ahnen aufzählt, so weiss man zunächst nicht, wo die drei andern *Könige* zu zuchen; vergleicht man aber Herodot VII, 11, wo zwischen Teispes und Achämenes, Cyrus und dessen Vater Cambyses eingeschoben sind so ist wohl nicht zu bezweifeln, dass die drei andern Achämeniden Cambyses, Cyrus und Cambyses dessen Sohn sind.

quod omnes auctores uno alterove modo eum Astyagi affinem fuisse scriptum reliquerunt; inde quoque explicandum, cur omnium consensu Astyagen benevole, specie certe, tractarit. Benignitas tamen illa simulata fuisse potest, quod paene colliges ex Ctesia, qui nobis auctor est, Cyrum necem Astyagis si non probasse, at certe non multum esse moratum.

Fines imperii Persici, Cyro regente, distincte definire non audemus, in universum hoc conficiendum videtur, finem imperii a parte occidente fuisse mare Aegaeum et quod oram alluit Ciliciae et Phoenices; ab oriente autem flumen Oxum. De regionibus singulis, quae ad imperium pertinebant Cyri, scriptores summatim inter sese conveniunt; in capite autem super Dario Hystaspis plura de iis disseremus.

De morte Cyri quid sentiamus supra professi sumus simulque ostendimus, quam ob causam narratio nobis Ctesiana inter omnes maxime videatur probanda. — His de vita Cyri rebusque gestis disputatis, ad vitam transgrediemur Cambysis.

CAPUT II.

CAMBYSES REX.

In paternum imperium successit Cambyses, ea parte excepta regionum, quibus Tanyoxarces frater a patre praefectus erat. Sic enim memoriae mandarunt Ctesias et Xenophon, Herodoto hac de re nihil memorante. Ctesias autem Tanyoxarcen praefectum facit Bactris, Choramniis, Parthis et Carmaniis; at contra Xenophon Cyrum filio Tanaoxarae Medos, Armenios Cadusiosque tribuisse meminit. Ipsa ea in nominibus populorum discrepantia me adducit, ut fidem testimoniis Xenophontis Ctesiaeque habeam, per ipsam eam quia patet, alterum sua non ex altero descripsisse. De Tanyoxarcae caede, Cambysis jussu facta loco opportuno plura disseremus.

Cambyses, ubi in patris locum successit, Aegyptum petiit ex causis, quas alius alias tradit. In Photiano quidem excerpto causa belli omissa est, sed culpa excerptoris eam esse omissam videbis ex loco Athenaei,

in l. XIII, p. 560 D. Ad eundem ferme modum atque in Athenaei l. c. narratiunculam in Persis vulgatam commeminit Herodotus in L. III, c. 1. Praeter hanc fabellam duas alias Herodotus in ejusd. lib. c. 2 et 3, memorat. Quam absurdae universae sint istae, ipse Herodotus subsensisse videtur, siquidem non distincte ostendit, quaenam potissimum belli causa sibi probabilis videatur. Si igitur his nullam auctoritatem tribuemus fabulis, quaerenda est alia quaedam causa belli a Persis Aegyptiis illati. Et satis quidem in promptu est, qua mente Aegyptum Cambyses adortus sit. Jam a remotis inde temporibus perpetui erant aemuli dominationis reges Aegyptiorum, ac domini Asiae, seu Assyrii, seu Babylonii. Cyro regnante Amasis, rex Aegypti, societatem inierat cum Croeso, rege Lydorum et Labyneto Babylonio, ut conjunctis videlicet viribus Persae singulis validioris progressus cohiberent. Frustra tamen foedus ictum erat. Et Lydia et Babylon in ditionem venerunt Cyri, atque Aegyptus exposita erat irae cupiditatique victoris. Si igitur Cyrus Amasi arma non intulit, impeditus fuerit in ultione sumenda propter nescimus quas causas, simulac vero vita decessit, Cambyses expeditionem in Aegyptum paravit, quodque a patre imperfectum relictum erat, sua manu perfecit.

In ipsius expeditionis historia Ctesias Herodotusque more solito in multis dissentiunt. Ex Ctesia, Cambyses Aegypto potitus est praecipue fraude proditioneque Combaphis, regis Aegyptiorum eunuchi acceptissimi. Nec mirum; nihil enim in orbe terrarum de opinione Ctesiae geri possunt nisi per eunuchos et aulicos. Cujus modi autem ista fuerit proditio, apud ipsum Ctesiam inspice in § 9. Prorsus intelligere nequeo, unde Ctesias nomen Amyrtaei ultimo Aegypti regi indiderit; num error est

excerptoris? [1]) Apud Herodotum autem iter Cambysis invenies in l. III, c. 6—14. Ex testimonis historicorum tam late diversis, id quidem prodit, Cambysen brevi tempore Aegyptios debellasse, quin in uno proelio. Non distincte quidem in excerpto Photiano id legimus, verum indicari videtur per haec verba in § 9. „Et (Cambyses) totam subegit Aegyptum. Caesi sunt proelio Aegyptiorum quinquaginta millia, Persarum septem millia" [2]). Item consentiunt inter se scriptores, regem Aegyptiorum clementer a Cambyse esse affectum; Psammenitus vero secundum Herodotum defectionem molitus, ipse sibi mortem metu ne puniretur, conscivit. At Ctesias Amyrtaeum suum in Susa esse relegatum cum sex millibus Aegyptiorum narrans, praeterea de eo tacet. Item apud Photium nulla mentio fit crudelitatis, quam in Aegyptis imprimis Cambyses manifestarit secundum Herodotum, qui fuse omnia narrat, quae ad istam Cambysis erga homines saevitiam atque erga deos impietatem pertinent. Eorum profecto facinorum pleraque erunt ex veritate tradita, verum nonnulla quoque a sacerdotibus Aegyptiacis ficta aut exaggerata. Si ista facinora singula enarrare insuper habebimus, nemo id nobis vitio dabit. Itaque

---

[1]) Res ad hunc explicari potest modum: rex Aegypti, quem devicit Cambyses non erat Amasis, sed ejus successor, (Psammenitus apud Her. III, 10 aut Psammecherites apud Africanium). Hoc nomen autem in tabulis Manethonis apud Eusebium et alibi omittitur, quia sex tantum menses regnavit. Illo nomine omisso successor *Aegyptius* in tabulis chronologicis *proximus* Amasi est Amyrtaeus. Hunc igitur proximum in tabulis successorem pro successore Amasis habuerit excerptor, et pro Psammenito ejus nomen posuit. Confirmatur haec solutio, si observaverimus nomen Amyrtaei jam desiderari et ignorari ab excerpt. Ctes. § 32, ubi ἑτέρου tantummodo *Αἰγυπτίου* laudat.

[2]) Numeros in aliis Editt. alios legi, nihil refert.

unum ex Cambysis criminibus nobis tractandum eximemus caedem Smerdis, quippe quae res sit maxime decantata. Primo loco videamus, quae de caede ista nos doceat Ctesias.

Magus quidam, Sphendadates nomine, ob delictum a Tanyoxarca verberatus se confert ad Cambysem, eique Tanyoxarcen suspectum fecit. Cambyses fratrem bis arcessit nequicquam, alio negotio detentum. Tertium vero arcessitus Tanyoxarces venit, benigneque à fratre acceptus est, qui clam ei exitium intendebat. Frustra Amytis mater Cambysem hortata est, ne deceptori Sphendadatae crederet. Denique hoc utitur dolo rex, a Mago instigatus; juberet rex caput abscindi coram omnibus Magi, tamqnam falsi in regis fratem accusatoris, clam vero interficeretur Tanyoxarces, et Magus, ore Tanyoxarcae simillimus ejusque vestem sibi indutus in posterum partes ageret Tanyoxarcae. Factum est ex consilio Magi. Iste itaque genuinus habetur Tanyoxarces, quin etiam ab iis, qui familiarissime regis fratre usi erant. Deinde Magus in Bactros mittitur, tamquam ad suum imperium, locoque regnat Tanyoxarcae, a nullo fraude detecta. Tandem omnia a Tibetheo eunucho Amyti patefiunt, quae, nequicquam Mago a Cambyse sibi expetito, veneno sese interimit, diras filio immani imprecata. Inde omne genus prodigia Cambysem terrefaciunt. Mater etiam in somnio ei noctu apparens, ob parricidium minabatur. Quum autem Cambyses Babylonem advenisset ibique cultrum tempus fallendi causa poliens, femoris musculum percussisset, undecimo die post mortem obiit.

Sic Ctesias, in excerpto, quod verbatim prope descripsimus § 10—13. At apud Herodotum rem ad hunc factam esse modum legimus. Cambyses mente captus propter

sacrilegia in Aegypto commissa, fratem Smerdin prae invidia in Persidem mittit, ibique insomnio terrefactus, per Prexaspen interficiendum curat. Cambyse autem adhuc in Aegypto morante, duo fratres Magi, alter Patizithes nomine, alter Smerdis, occasionem bonam reputantes, defectionem moliuntur. Ut majorem autem sibi auctoritatem acquirant et justiore titulo rebellare videantur, alter eorum Smerdis, Smerdi Cyri filio in oris habitu simillimus, fingit se esse Smerdin, Cambysis fratrem. Hac igitur specie populus decipitur, atque in Cambysem insurgit, qui nuntio defectionis accepto, quam potuit celerrime ex Aegypto rebelles punitum tendit. In Syriae urbem, Agbatana veniens, quum equum ascendit, forte casu gladio suo se vulnerat. Quum ex vulnere se moriturum sentit, nobilissimos convocat Persarum, iisque se fratrem Smerdin interfecisse confitetur, omnes, imprimis Achaemenidas admonens, ut de impostore fraudis poenas sumant. Exspirat subinde Cambyses, quum per 7 regnasset annos et menses quinque. Vide Her. III, 30—32, 61—66.

Narrationes Ctesiana et Herodotea, quamvis summatim conspirant, in minutioribus tamen multum inter se invicem dissident. Adeo ipsum nomen fratris Cambysis apud utrumque varium est. Aliam deinde formam nominis exhibet Xenophon in Cyr. VIII, 7, 11; huic Tanaoxares est, qui Ctesiae Tanyoxarces, sed haec utraque forma dialectice tantum inter se distat. At vero quo pacto discrimen explicandum inter Smerdin Herodoti et Tanyoxarcen seu Tanaoxaren? Sententiam meam de ea re in medium proferam. Nomen proprium fratris Cambyses fuit Persice *Bar̥d'ija*, quod occurrit nomen in Inscription. Behistun. Col. I, 30, 31, 32, 39 cett. Illud

Bard'ija apud Graecos abiit in Μέρδις,[1]) qualis nominis forma est apud Aeschylum in Persis vs. 774; Herodotus vero pronuntiat Σμέρδις; apud Justinum legitur in edd. *Mergis*, corruptum, ut opinor, ex *Merdis*, propter ablativum *Mergide*. Verissimum autem exhibet Scholiasta in Aeschyli Pers. 774, afferens formam *Merdias*. Quum autem Persicum nomen Bard'ija, Graece Merdis seu Smerdis nihil cum nomine Tanyoxarce seu Tanaoxare [2]) commune habeat, et porro hocce nomen non a Ctesia et Xenophonte fictum esse possit, nihil superest nisi opinio, Tanyoxarcen fuisse alterum nomen, quo ab ipsis Persis Bard'ija nuncuparetur. Ideo cognomen illud Bard'ijae fuisse, arbitror. Quod vero attinet ad nominis significationem, equidem crediderim vocabulum Τανυοξάρκης esse compositum, ex *tanu* seu *tanuva* [3]) ac *khshathra*. Vocabulum *tanu* in Inscriptionibus quidem non exstat, sed eo sermonem Persicum non egisse, nihil obstat, ut cre-

---

[1]) Graeci in nominibus Persicis suae pronuntiationi adaptandis, proni erant ad literas labiales *m* et *b* permutandas. Praeter Merdin plura exempla ejusmodi permutationis sunt *Megabazus*, apud Justinum III, 1 Bacabasus; *Bagapates* Ctesiae apud Plutarchum in vita Artox. c. 17, Masabates; contra *Agbatana* pro Persico *Hagamatan*. Alterum exemplum, ex quo apparet ante literam *m* positam esse *s*, in eodem Herodoto repperisse credo in nomine Σμερδομένης VII, 82, 121, quod difficile Persice aliter sonuit nisi *Mard'umanish*, ex *mard'u* (Sanscritico *mrdhu*) *mitis* et *mani*, i. e. *animus*.

[2]) Proinde ac Persae, proprie dicti, quorum sermone utuntur Inscriptiones, pro Graeca forma Κυαξάρης pronuntiant Uvakhshatra (deinde Uvakhshathra), sic in ulteriore parte nominis Tanaoxarae latet vocabulum *khshathra*. Fortasse Κυαξάρης est ex molliore Medorum pronuntiatione ortum.

[3]) De *tanu* seu *tanuva* conferas *paru* et *paruva*, promiscue usurpata. *Paruzana* in F. 15 O. 15 apud Lassen; *paruvazana* vero leges in A. 15, D. 8.

damus, propter frequentissimum in lingua Sanscritica ejusdem vocabuli usum. Si itaque *tanu* eodem sensu, quo Sascritice usurpatum, sensu scilicet: *tenuis, parvus* prior pars erit compositionis, totum vocabulum *Tanuvakhshathr̆aka*, Ctesianum Ταννοξάρκης ex compositione Bahuvrîhi significare poterit: „*vis, qui parvam habet imperii partem.*" *Tanaoxares* convenit cum forma Tanuvakhshathr̆a, omissa syllaba *ka*, quae ratio saepius in lingua sanscritica occurrit. Significatio autem, quam dubitanter sane atque ex mera conjectura, Ctesiano Tanyoxarcae supposuimus, egregie apta est cognomini filii Cyri natu minoris, qui minorem quam frater Cambyses habebat; partem tenebat imperii paterni. Nomen Tanyoxarces tempore Ctesiae fortasse apud Persas praevalebat, quia per illud distinctius infelix Cyri filius quasi denotaretur. Etiam atque etiam lectorem admonemus, ut explicationem nostram nominis Tanyoxarcae conjecturae habeat loco; gratum nobis erit, si alius meliorem certioremque rationem docebit, ex qua testimonium Xenophontis et Ctesiae cum testimonio Herodoti Inscriptionumque sit conciliandum.

Supra verbo attigimus, secundum Ctesiam Tanyoxarcen a Cyro dominum fuisse praefectum Bactris, Choramniis, (Chorasmiis?) Parthis et Carmaniis ea quidem conditione, ut hae regiones immunes forent. At contra Xenophon eundem a Cyro praefectum esse satrapam Medis, Armeniis et Cadusiis scriptum reliquit. Haec quidem Xenophontis sententia melius concilianda est cum iis, quae Herodotus de Smerdi, in exercitu fratris in Aegypto militante narrat, sed quia Herodotus errore id narrasse mox videbitur, nihil confici potest quod ad dignitatem, qua Smerdis esset ornatus. Vid. Herod. l. III, 30. Deinde quoque caedem Smerdis Ctesias Herodotusque

quisque suo modo narrant. Non vero nesciebat hicce, facinus istud crudele variis modis tradi; nam ipse nos docet in l. III, c. 32: Ἀμφὶ δὲ τῷ θανάτῳ αὐτῆς (sororis Cambysis) διξὸς, ὥσπερ περὶ Σμέρδιος λέγεται λόγος." Illa autem altera fama de nece Smerdis esse potuerit narratio Ctesiana. At non modo duas, verum complures in Persis famâ fuisse vulgatas, colliges, ubi Justinum de isto Cambysis parricidio audieris; ejus igitur narrationem, per sese ipsam satis brevem, integram describemus ex l. I, c. 9. „Post haec per quietem vidit (Cambyses) fratrem suum Mergim regnaturum. Quo somnio exterritus non dubitavit post sacrilegia etiam parricidium facere. Erat enim difficile, ut parceret suis, qui cum contemptu religionis grassatus etiam adversus deos fuerat. Ad hoc crudele ministerium Magum quendam ex amicis delegit, nomine Cometem (v. l. Comarin). Interim ipse gladio sua sponte evaginato, in femore graviter vulneratus, occubuit, poenasque luit, seu imperati parricidii, seu sacrilegii perpetrati. Quo nuntio accepto Magus ante famam amissi regis occupat facinus; prostratoque Mergide, cui regnum debebatur, fratrem suum subjecit Oropasten. Erat enim et oris et corporis lineamentis persimilis; ac nemine subesse dolum arbitrante, pro Mergide rex Oropasta constituitur. Quae res eo occultior fuit, quod apud Persas persona regis sub specie majestatis occulitur. Igitur Magi ad favorem populi conciliandum, tributi et militiae vacationem in triennium permittunt, ut regnum, quod fraude quaesierant, indulgentia et largitionibus confirmarent." Subinde sequitur relatio conjurationis inter septem illos Persarum nobiles.

Nequaquam profecto opus est admonitu, narrationem Justinianam ortam esse ex traditione plane diversa ab iis, quas referunt Ctesias et Herodotus. Et rerum et

nominum discrepantia id coarguit. Denique convertamur ad monumenta Persica. Ex quibus vid. Inscription. Behistun. Col. I, a vs. 26 usque ad 43. Quamvis locus aliquantum sit prolixior, perspicuitatis gratia eum subjecimus. „Edicit Darius rex: hoc est, quod a me factum, antequam rex fui. Cambyses (Kabug'ija [1]) nomine Cyri filius ex nostra stirpe, antea hîc rex fuit. Hujus Cambysis frater Merdis (Bard'ija) nomine fuit, ex eadem matre, ex eodem patre ac Cambyses. Deinde Cambyses hunc Bard'ijam interfecit; quum Cambyses Smerdin interfecisset, imperii successio non erat (i. e. *nullus jure successor erat in imperium Cambysis*), quia Smerdis interfectus erat. Deinde Cambyses in Aegyptum profectus est; quum Cambyses in Aegyptum profectus esset, tum imperium (i. e. *incolae*) impium erat, tum peccatum in regione increscebat et in Perside et in Media et in ceteris regionibus. Edicit Darius rex: tunc Magus fuit, Gaumâta [2]) nomine; hic insurrexit ex Pishijâuvâdâ; Arakadrish nomine mons est, unde V'ijakhna mensis 14 die insurrexit. Is imperium sic decepit: ego Smerdis sum Cyri

---

[1]) In sermone Inscriptionum saepe omissum videmus Nasalem, quae saltem non litera exprimitur, sed et ex translatione Graeca et ex pronuntiatione eorum, qui hodie Persidem incolunt, collegerim, nasalem fuisse pronuntiatam, non vero scriptam. Argumento sit vocabulum, quo Graeci incolas Indiae universos appellant, Ἰνδοι; quae forma tantum ex lingua Persica desumpta esse potest, propter omissam *s* literam. In Inscriptionibus autem scribitur Hid'ush=Sanscrit. Sindhu. Conferas praeterea vocabulum *badaka*, Latine *servus* cum Persico recentioris aetatis *bendekeh*.

[2]) Praeferendum formae *Gumâta* credo *Gaumâta*, comparato *Gaubar'uva*, ad amussim respondente Herodoti Γωβρύης. Non est res magni momenti, sed quum de more ante literam *u* scribatur g' (gh), non g, in omnibus vocabulis in quibus *g* ante *u* ponitur, inhaerere credo literae *g* vocalem *a*.

filius, Cambysis frater. Tum imperium totum rebellavit, a Cambyse ad istum defecit, et Persis et Media et ceterae regiones. Regnum iste sibi adeptus est. Garmapada mensis 9 die fuit, quum regnum sibi adeptus est. Deinde Cambyses vehementer iratus mortuus est." Sic Darius loquitur in Monumentis suis. Darii autem verba nobis comparantibus cum tribus, quae supra attulimus testimoniis, confestim occurrunt alia cum Herodoto, alia cum Justino convenientia, nihil vero in iis invenimus, quod quodam modo cum Ctesiae concinit sententia. Cum Herodoto commune habet Inscriptio nomen fratris Cambysis, Bard'ija; deinde defectionem Magi, Cambyse adhuc vivente, factam. At apud Justinum, qui plane ab Herodoteis diversa nomina scribit, convenit forte casu unum nomen, *Comates* (sic enim confidenter nomen lego, conflatum ex vv. ll. *Cometes* et *Comaris*). Comates est prope ipsum Persicum Gaumâta. In Justino quidem Comates non est, nisi Merdis, Cambyse jubente, interfector et auctor fratri suo Oropastae, ut rerum potiretur; Oropastes igitur proprie partes egit Merdis, sed Comates auctor et princeps erat defectionis et una cum fratre emolumentis fruebatur fraudis. Minus recte secundum Justinum regnum Magorum incipit post Cambysem mortuum; item Smerdis interficitur posteriore tempore, quam apud Herodotum atque etiam Ctesiam factum est. De rebellione igitur Magorum, Cambyse vivente, solus scripsit Herodotus, neque Ctesias, neque Justinus id compertum habuerunt.

Itaque in nomine tantum Magi Herodotus fallitur, siquidem istum appellat Smerdin [1]). Sed hîc certo memo-

---

[1]) Herod. III, 61 *Ἦν τε δὴ ὁμοῖος εἶδος τῷ Σμέρδι, καὶ δὴ καὶ οὔνομα τωὐτὸ εἶχε Σμέρδιν.*

ria aliquantulum lapsus est; nimis mirum foret, si Magus praeter similitudinem vultus corporisque eodem, quo filius Cyri, gauderet nomine. Utut est, narratio Herodotea inter tres ex peregrinis scriptoribus profectas optime cum Monumenti Persici verbis potest conjungi; eum enim duos Magos auctores rebellionis meminisse, non est cur miremur, etiamsi Darius unum Gaumâtam commemorat; unum alterum non excludit. Narratio autem Ctesiae atque Justini laborant vitio, quod tempus defectionis Magi non recte, post mortem Cambysis scilicet, statuunt.

Si omnium testimoniis compositis, sententiam ferre nos oportebit, ad quem potissimum modum rebellio Magi processisse videatur, haec conjicere licebit. Cambyses, quum per aliquot annos in Aegypto maneret, propter crudelitatem in suos et in subditos, indies Persis ceterisque populis invisior fiebat. Fratrem Smerdin pridem ante quam in Aegyptum tetendit, interfecit, quandoquidem intelligebat, amore populi summopere illum gaudere, usque adeo ut ipsi ex fratris apud populum gratia periculum immineret. Per longum deinde tempus mors Smerdis Persas latebat, qui eum Cambysem in Aegyptum comitatum esse opinabantur. Quum igitur Persae, Medi, ceterarumque incolae regionum, ab orientali praesertim imperii parte, indies Cambysem pejus odissent et propter exercitum in Aegypto maximam partem morantem, audaciores facti, odium magis ostenderent, tum Magus quispiam, qui Smerdi Cyri filio simillimus erat vultu, occasionem bonam esse reputans, eam occupare statuit Forte fortuna Smerdin, Cyri filium, mortuum noverat. Occasionem iste Magus arripuit, fingebatque se esse Smerdin. Deinde populus similitudine Magi cum Smerdi deceptus, et jamdiu ad rebellionem pronus contra Cambysem, avide

a partibus stare instituit illius, quem ipsum sibi gratissimum atque amatissimum Cyri filium esse rati sunt. Itaque generalis quasi rebellio contra Cambysem facta est; inde explicandum, cur cum tanto labore et tam caute conjurati inter Persas Magi regno finem fecerint. Quo enim pacto Magus iste Gaumâta tam potens factus est, nisi valeret amore subditorum in se, quem tanquam bonum Cyri filium diligebant? In quanto Persae timore Cambysem habuerint, nobis auctor est Herodotus in l. III, c. 89, ubi: λέγουσι Πέρσαι, ὡς Δαρεῖος μὲν ἦν κάπηλος, Καμβύσης δὲ δεσπότης, Κῦρος δὲ πάτηρ, hanc quidem ob causam, quod Cambyses χαλεπός τε ἦν καὶ ὀλίγωρος.

Nuntio descissae a se partis imperii accepto, Cambyses qua potuit celeritate, ex Aegypto cum copiis domum redire aggressus est, sed casu quodam in itinere (seu Babylone, seu Agbatanis Syriae) vulneratus, vita est functus. Ante autem quam mortuus est, nobilissimos Persarum convocavit, iisque revelavit suum erga fratrem scelus, et fraudem Magi, qui se Smerdin esse finxit. Deinde cum poenitentia ob delicta de vita decedit. In Inscriptione Darii de ea re profecto nullus est sermo, sed vocabulum Persicum *uvâmarshijush* poenitentiam Cambysis mihi indicare videtur. Reddidimus *uvâmarshijush*, proinde ac Benfey fecit, per *vehementer iratus*, sed aequo, quin imo meliore jure reddi potest per: *iratus erga semet ipsum*, *in dolore ob se ipsum.* Ex nostra igitur versione compositum vocabulum est ex *huva*, Sanscritice *sva*, et *amarshijush*, ab *amarsha*, Latine *ira.* Producta litera *a* in *uvâmarshijush* pro nostra pugnat sententia; conf. composita cum *a* correpta e. g. *uvaspa*, *umartija*, ex *hu* et *aspa*, *martija.* Herodotum de poenitentia Cambysis vide l. III, c. 64 sqq. Idcirco quoque Herodoto, narranti Cambysem scelus

suum Achaemenidis aliisque nobilibus Persarum revelasse, fidem habeo, quod Darius in Col. I, 48 sqq. testatur: „Nemo fuit, neque Persa, neque Medus, neque ex nostra stirpe quidam, qui istum Gaumâtam Magum regno privavit; imperium (*incolae*) istum valde metuebant." Ex hic autem verbis patet, non ignotam quidem esse magnae parti nobilium Magi deceptionem, sed eos, metu perculsos, Magum adoriri non ausos esse. Audierant vero fraudem Gaumâtae nobiles ex ipso Cambyse; ita sane fraudis detectio explicari potest. Qua mente nobiles per aliquod tempus dubitarint num vera esset Cambysis confessio, et inde siluerint, haud absurde exponit Herodotus in l. III, c. 66.

De regno Magi ac caede in capite proximo disputaturis, nobis aliquid dicendum restat de differentia inter Herodotum Ctesiamque, quod ad spatium temporis, per quod Cambysem regnasse perhibent Ille in l. III, c. 66 accurate tempus regni definit per 7 annos, 5 menses. At contra Ctesias numerum habet 18 annorum. Herodoteam definitionem esse rectam, et aliunde confeceris et hinc, quod Cambyses non diu post Cyri mortem expeditionem suscepit in Aegyptios. Si addes tempori, per quod in Aegypto remanebat, tempus idoneum expeditioni in Aethiopes et in Ammonios, invenies spatium 7 annorum satis esse longum regi, in regione externa degenti. Verum spatium 18 annorum omnino non implere possum; quaenam in omni hoc tempore tandem Cambyses gessit? Difficultas vero semper remanebit, quia opinari nequimus, Ctesiam sine ullo argumento tempus 18 annorum statuisse; quo pacto Osiander difficultatem solvere conatus sit, videas in Ctes. frag. Ed. Mull. p. 64. Ille enim suspicatur, Cambysem, Cyro vivente, jam ornatum fuisse

regio honore et praefectura quadam, sed huic sententiae obstat, quod in historia Persarum nullum aliud exemplum ejus modi facti invenimus. Deinde quam maxime tenendum est, numeros in excerpto Photiano saepissime esse depravatos, ita ut semper dubitare liceat, num numeri in excerpto sint ipsius Ctesiae. An legebatur apud Ctesiam η′ pro ιη′ i. e. *octo* pro *duodeviginti?*

CAPUT III.

MAGI INTERREGNUM.

Quid post obitum Cambysis factum sit, Ctesias sic propemodum narrat. Magus, Bagapata eunucho atque Artasyra, qui apud Cambysem regem magna gaudebant auctoritate, adjuvantibus, regnum usurpavit. At Izabates, item Cambysi pridem acceptissimus, quum, cadavere Cambysis in Persidem (εἰς Πέρσας) portato, rediisset, exercitui fraudem Magi detexit. Izabates autem mox deprehensus morteque mulctatus est. Deinceps septem Persarum nobiles conspiratione inter sese facta, Artasyraque et Bagapata in societatem assumptis, Magi interficiendi consilium ceperunt. Opera Bagapatae, qui claves regiarum habebat aedium, regiam ingressi, Magum cum pellice Babylonia dormientem invenere. Magus autem expergefactus, cum aurei pede sedilis ab conjuratis se defendit, donec occisus sit. Regnaverat menses septem. In Herodoto elaboratior quaedam narratio legitur in l. III, c. 67 sqq. Magus, ubi rerum potitus est, omnes subditos, praeter Persas, sibi conciliare studuit benefeciis,

praesertim per immunitatem omnibus per triennium edictam, et a militia, et a tributis. Quum autem Magus septem menses regnasset, illustris quidam inter Persas, Otanes nomine, cujus filiam Phaedymen, ante Cambysi nuptam Magus iste uxorem habebat, suspicari quid rei esset, coepit. Per filiam illam dolo exploratum habuit, hominem, quocum ea habitabat, non esse Smerdin, sed Magum, cui Cyrus olim aures praecidi jusserat ob magnam quandam culpam. Otanes, simulac sibi persuasum habuit, usurpatam esse sedem regiam ab isto homine, consilium suum Magi interficiendi communicat cum duobus aliis Persis, Gobrya et Aspathine. Qui quum consilium Otanis comprobassent, cuncti unum sibi quisque socium adjunxerunt, Intaphernen, Magabazum et Hydarnen. Deinceps septimus in societatem assumitur Darius, Hystaspis filius, qui modo Susa ex Perside venerat. Qui sibi jam notam esse fraudem Magi professus, postulat ut eodem die Magum aggrediantur. Dum ceteri conjurati Dario morem gerere cunctantur, Gobryas illius laudat consilium, cunctantibusque ut ex sententia agerent Darii, persuasit. Interea, dum haec apud conjuratos aguntur, Prexaspes, qui Smerdin jussu Cambysis olim interfecit, a Magis mandatum accepit, ut turrim adscenderet, et ad populum orationem haberet, in qua eos ab ipso Smerdi regi diceret. Prexaspes vero, id pollicitus, suam culpam Magorumque fraudem populo patefecit, quo facto, de turri se praecipitem dedit. At conjurati eorum, quae a Prexaspe facta erant, certiores facti, quum jam dimidium viae essent progressi, quid sibi faciendum foret deliberarunt. Denique visum omen deliberationem finivit. Conjurati ad regiam pergunt, eamque intrant. Ex custodibus iis, qui illos progredientes prohibebant occisis, Magos de Prexaspae facinore deliberantes inveniunt. Istos adoriuntur et

post acerrimam pugnam, per Gobryae maxime fortitudinem interficiunt. Deinde conjurati foras egressi omnes Magos, qui sibi obviam venerunt, trucidant. Memoriae causa postea Persae, quo die illud factum est, festum celebrant, quod dicitur Magicidium (Μαγοφονία). Vid. Her. III, c. 79.

Itaque summatim Herodotus ac Ctesias, in historia conjurationis adversus Magum, non multum inter se distant. Major vero inest diversitas de modo, quo consilium suum exsecuti sunt conjurati. Apud Ctesiam enim ad Magum interimendum magnas partes agunt Artasyras, Bagapates eunuchus, item Izabates; Herodotus contra nihil ejusmodi audivit, neque Justinus, qui prorsus cum Herodoto consentit (excepta ratione scribendi *Ostanes* pro *Otanes*). Justin. L. I, c. 9. Si Ctesias majores, quam oportuit, partes tribuit eunuchis et aulicis, non est cur miremur; dum enim Cnidius medicus in aula Artaxerxis Mnemonis versabatur, ubi omnia per istiusmodi homines geri videbat, sensim consuetudinem adscivisse videtur, ut omnia, quae ante in Persis facta erant, opera aulicorum et dolo perfecta censeret, proinde ac sub Artaxerxe, domino suo penes mulieres ac nebulones rerum erat gubernatio. Deinde Ctesias nomina conjuratorum memorat plane diversa ab iis, quae in Herodoto legimus. Conjurati enim fuerunt:

Secundum Ctesiam.	Secundum Herodotum.
Ὀνόφας.	Ὀτάνης.
Ἰδέρνης.	Ὑδάρνης.
Νορονδαβάτης.	Ἀσπαθίνης.
Μαρδόνιος.	Γωβρύης.
Βαρίσσης.	Μεγάβαζος.
Ἀταφέρνης.	Ἰνταφέρνης.
Δαρεῖος.	Δαρεῖος.

Ex septem igitur nominibus tria convenire vides, Δαρεῖος, Ἰνταφέρνης a Ctesia scriptum Ἀταφέρνης [1]), et Ὑδάρνης, idem quod Ἰδέρνης. Reliqua autem nomina nullo pacto inter sese concilianda sunt. Antequam de septem viris Inscriptiones Darii consulamus, locum ex iis inspiciamus, ubi Darius Magum a se oppressum profitetur in Col. I, 43 sqq. textus Rawlinson. Latine locus haec dicit: „Edicit Darius rex, illud regnum, quod Gaumâta Magus surripuit Cambysi, illud regnum ab antiquo nostrae stirpis erat. Tum Gaumâta Magus surripuit Cambysi et Persidem et Mediam et ceteras regiones; iste ex votis perfecit, iste rex fuit. Edicit Darius rex: nemo erat, neque Persa, neque Medus, neque ex nostra stirpe quidam, qui istum Magum regno privavit; imperium (*incolae*) istum valde metuebat. Imperium (i. e. *partem imperii*) [2]) vi opprimere volebat, quod ante Merdim noverat. Hanc ob rem imperium opprimere volebat, „ne me perdat, quod ego non Merdis sum, Cyri filius" (*reputans*). Nemo audebat quicquam facere contra Gaumâtam Magum, quum ego surrexi. Tum ego Auramazden adoro. Auramazdes mihi opem tulit. Bâgajâdish mensis 10°. die fuit, quum

---

[1]) Mullerus ex Hellanici fr. 167 affert tamquam ejusdem viri nomen *Δαφέρνης*, Ctes. fragm. pag. 64. *Ἀρταφέρνης*, cum litera ρ anto τ, ut apud Mullerum l. c. scribitur, est mendum typographicum, cf. ejusd. p. 49, ubi recte legitur *Ἀταφέρνης*. In Herodoteo *Ἰνταφέρνης* aliud exemplum habemus insertae nasalis. Nomen Persicum est *Vidafranâ*.

[2]) Maximam partem interpretationem sequor Clar. Benfey, ceteroquin non sine controversia veram; sed *hja* in vs. 51 pro Pronomine Masc. generis habeo, quum Benfey *hja* esse arbitratur Conjunctionem. Inde quoque aliter sententiam interpungo. Belgice sic verterim. „Hen in het rijk, die vroeger Merdis gekend hadden, zou hij wel willen vernietigen. Daarom wilde hij hen vernietigen, opdat cett." *Kâra* non tam totum imperium est, quam pars nobilior imperii, exercitus.

ego cum sociis viris istum Gaumâtam Magum interfeci, et qui ei primi sectatores erant. Sikthauvatish nomine arx (est), in Nisâja nomine regione Mediae, ibi eum interfeci, regnum ei ego eripui, voluntate Auramazdae ego rex factus sum; Auramazdes regnum mihi obtulit." Alius Inscriptionis Behistunensis locus nobis est inspiciendus, quo nominantur, vel potius nominati fuerunt Persae conjurati, qui una cum Dario Magum oppressere. Malum factum est, quod temporum injuria totus fere locus depravatus est, et paucissima tantum, comparatione versionis, quae sic dicitur Medicae, adhibita, restitui possunt. Locum quem diximus, invenies in Col. IV, 80 sqq.

„Hi sunt viri, qui *loco?* illic erant, quum ego Gaumâtam Magum interfeci, qui Bard'ija se appellabat; *eo loco?* erant hi viri, qui (erant) mei sectatores: V'idafranâ (1) nomine, filius — Persa; — (2) — (filius) — Persa; Gaubar'uva (3) nomine, filius Mard'unijae, Persa; — (4) — filius — Persa; — ukhsha (5) — filius — Persa; — (6) — (filius) — Persa. Si textum ipsum inspicies, videbis duo tantum nomina lucide legi aut certo restitui posse ex versione Medica. Sunt autem haec nomina V'idafranâ et Gaubar'uva; ille ut supra annotavimus idem est, quem Herodotus Intaphernen, Ctesias vero Ataphernen appellat. Alterum nomen Gaubar'uva est Gobryas Herodoto. Deinde tertium nomen, in textu Persico non legibile, in Medico sonat: *Huddâna*, quod verisimiliter convenit cum Herodoti Otane. Quo vero modo *Huddâna* apud Persas sonaret, dijudicare nequimus propter imperfectam in Medicis inscriptionibus rationem scribendi. Benfey proponit *Udâna*, equidem conjeci *Ustâna*, nomen Persicum et aliunde notum et conveniens cum Justini *Ostane;* si accipiemus Udâna, offendet duplex consonans in Huddâna. Haec obiter. Sequitur in Inscriptione lo-

cus nomini quarto, non ipsum nomen; nam neque in Persica, neque in Medica aliquid exstat, nisi syllaba ultima *na;* pars esse potest nominis, quod ab Herodoto scribitur Hydarnes, a Ctesia Idernes, alicubi in Inscriptione V'idarna; consensus Ctesiae et Herodoti nos adducit ad credendum, illam syllabam *na* revera pertinuisse ad nomen V'idarna. Porro nomen quintum in Persico textu restantem habet partem posteriorem — *ukhsha*, in Medico vero integrum Pagavukhsha, unde Rawlinson confidenter conjicit Persicam formam: *Bagavukhsha*, propter Graecum Μεγάβυζος (v. l. Μεγάβαζος). Quod sequitur sextum nomen plane interiit in textu Persico, in Medico restat initio syllaba: *Pa.*

Ex collata igitur Inscriptione concludere possumus, uter scriptorum nomina verius reddat; omnino major fides Herodoto est tribuenda, quippe qui sine controversia recta exhibeat haec nomina: Intaphernes, Gobryas, Otanes (vera forma Ustâna sit licet). At Ctesias quod sciamus unum Atạphernen. Dubiosum est in utroque Hydarnes seu Idernes. Mardonius apud Ctesiam procul dubio *non* fuit unus ex conjuratis, quod luce clarius patet ex Inscriptione. Ibi enim Mardonius quidem occurrit, sed tamquam pater Gobryae [1]). Pro Otane Herodoti in serie Ctesiana habemus Ὀνόφας, quod ad formam sane congruit

---

[1]) Filius quoque Gobryae Mardonius appellabatur. Celeberrimus is fuit Mardonius in historia Graeca. Vid. Herod. l. VI, 43. Aut filium aut patrem Gobryae igitur Ctesias intellexit, quae res sic quidem explicari potest, ut Ctesias in διφθερᾶς βασιλικὰς legendo minus acriter cerneret nomina conjuratorum, eorumque patris singulorum. Nam procul dubio in illis membranis nomen patris adscriptum erat, proinde atque in Inscriptionibus. Equidem tamen Ctesiam membrana regia plane neglexisse contendo, et in hac commentatione porro probare studebo.

cum Ἀνάφης, filio Otanis, in Herod. VII, 62. Denique Herodoteus Megabyzus paene non in dubium vocari potest, quin unus fuerit ex conjuratis propter illud Medicum Pagavukhsha. Septimum nomen in Inscriptione neque cum Herodoti Aspathine, neque cum Ctesiae Norondabate ullo modo componi posse videtur.

Ut a nominibus ad res transeamus, statim narratio in Col. I. Inscript. plane diversam se offert et ab Herodoti et a Ctesiae relatione. Non modo in minutis et ea ratione diversa est, ut percipiamus, auctorem Inscriptionum fuisse Darium, qui semper prae se fert, „ego hoc aut illud feci," ac ceteros conjuratos in ministrorum quasi numero habet, non modo in tenore igitur orationis diversa est, verum etiam in rebus maximi momenti. Apud Herodotum enim scena caedis Magorum posita est Susis; vid. III, 70; apud Ctesiam indistinctius dicitur in regia, itaque necessario in uno capitum imperii. Verum in Inscriptione, locus ubi Magus Gaumâta cum primis suis sectatoribus oppressus est, situs est in Mediae regione, nomine Nisâja, etiam Graecis satis nota. Arx, de qua l. c. est sermo, vocatur Sikthauvatish, quam Benfey componit cum Ptolemaei Sidike, recte necne non moror. Monumento autem Darii procul dubio maxima omnium fides habenda est; etsi Darius sibi majorem tribuerit in Mago perdendo partem, quam ex veritate facere debebat, sibique uni totum consilium vindicat, tamen ejus testimonium non multum a veritate abesse potest, quandoquidem etiam apud Herodotum perlucet, Darium postremum in societatem conjuratorum admissum, mox principem factum esse consilii ad optatum finem perducendi. Timida deliberatio inter conjuratos, quam in Herodoto legimus, non multum distat a verbis Darii; „neque Persa, neque Medus, neque ex nostra stirpe quidam ausus est

quicquam contra Magum facere." De spatio temporis, per quod Magus regnavit idem statuunt historici Graeci. Ex Inscriptione Persica id quidem compertum habemus initium regni Mago fuisse in mense V'ijakhna, et finem in mense Bâgajâdish, sed quum nesciamus, quibus mensibus Graecorum menses Persici respondeant, dijudicatio incerta remanet. Quoniam autem ambo scriptores inter sese conspirant, nullum est argumentum, quo nisis testimonia conjuncta in dubium vocare nobis licebit.

Itaque ex iis, quae modo disputavimus, consequitur, prope omnia, quibus quum Herodotus tum Ctesias historiam Magi ornant, esse fictitia et ex populari traditione desumpta. Ctesiana meo judicio fluxerunt ex traditione in regia vulgata, non ex actis regiis, de quorum notitia medicus Cnidius aliquantum gloriatus videtur, nam illa acta maximam partem cum Monumentis Darii concinerint necesse est. Si igitur Ctesias alia refert, ac Monumenta faciunt, tum sane se res percunctatum fuisse simulat, quarum revera ignarus fuit. In epilogo copiosius nostram sententiam illustrabimus.

Denique silentio non praetermittendum puto, quod Herodotus, Ctesia consentiente super festo apud Persas celebrato, quod dicebatur Magophonia, memoriae mandavit. Inspicias Mulleri annot. ad Ctes. § 15, pag. 64, ubi noveris, quae viris doctis de illo festo disserere libuerit. Kleukerus l. c. negasse dicitur, hocce festum pertinere ad religionem Persarum, affirmasse vero Baehrius. Quin autem Kleukerus rectum docuerit, nemo paululum in his rebus versatus, infitias ibit. Ratio, ex qua in Zendavesta non praescriptum esse potuerit, ut festum celebraretur ob Magos interfectos, ea ratio tam simplex est, ut cuivis, etiam Kleukero non praeeunte, perspicua sit. Attamen post conjuncta Herodoti Ctesiaeque testi-

monia non est cur dubitemus, quin illud festum Magicidium in Persis celebratum fuerit, sed non festum fuit ad religionem pertinens. Etenim unde ac quo consilio festum illud ad religionem spectaret? Num insurrectio Magi cum religione quid commune habebat? Si hoc ita fuerit, Magus nomen Smerdis, Cyri filii usurpare supersedere potuisset, opinor. Quid igitur sibi volunt interpretes? De re per sese ipsam perspicua controversia omnis dirimitur per verba ex excerpto Photiano: „Ἄγεται τοῖς Πέρσαις ἑορτὴ τῆς Μαγοφονίας, καθ' ἣν Σφενδαδάτης ὁ Μάγος ἀνῄρηται. Vid. Ctes. Pers. § 15. Celebratur ergo a Persis dies, quo Magus iste (Magus tamen, qui honoratissimis apud Persas collegis suis dedecori fuit) cum sociis fraudis occisus est; illo die Persae grati isto, qui fraude regnavit patriam liberatam recordabantur. Addamus quoque, quod ex Inscriptione Behistunensi apparet, eundem Magum multa impie fecisse contra religionem Persarum, ergo etiam Magorum. Gaumâta primum quidem Magus erat, sed quum regnaret non amplius Magus erat, aut certe talis haberi nolebat. Id ipsum est, quod non intellexerunt nonnulli, qui per testimonium Herodoti aliquantum in errorem ducti sunt.

Percipies diversas narrationes non in unam posse coalescere; satis ideo duco, me exposuisse quem ad modum a quoque traditae sint auctore, et propero transgredi ad regnum illius, qui Cyro excepto omnium nobilissimus regum fuit in Persis, idemque unus inter dominos illustrissimos, quos umquam tota tulit Asia; Darium intelligo, Hystaspis filium.

CAPUT IV.

DARIUS HYSTASPIS REX.

Pro imperii Persici historia Dario regnante nobis abundantissime affluunt fontes, et in scriptoribus Graecis et in Monumentis Achaemenidarum; praesertim inscriptio Behistunensis ad res a Dario gestas cognoscendas maximopere adjuvat. Inscriptiones autem Persepolitanae nos multa docent super imperii Persici magnitudine numeroque populorum, qui in ditionem regis Persarum fuerunt redacti, praeter alias res ab historico argumento alienas. Res ipsa declarat, in usu fontium Persicorum nobis quam maxime judicium esse adhibendum, si vera a falsis discernere volemus, propterea quod Dario, res a sese gestas referenti in Monumentis, quae ipse exstruxit, non semper supra aliis fides est adjungenda. Darius aliquid humani fecerit, si studio sui ductus multa silentio praeterierit, quae fides historica ut referrentur postulavit; consentaneum est illum plura ad hunc referre modum, ut dignitati suae et honori maxime congruum foret. Eadem ratione, ex qua in praecedentibus a singulis narrata singula expo-

suimus, hîc quoque breviter quae ab historicis nostris literis mandata sunt, subjiciemus, initio facto in Ctesia.

Darius, (qui in excerpto Graece vocatur *Δαρεῖος*, quum Darius Nothus nuncupatur in eodem *Δαρειαῖος*, unde colligo primo quoque Dario Ctesiam nomen indidisse *Δαρειαῖος*) Darius per equum, arte quadam primum ad solis ortum hinnientem, ex septem conjuratis rex factus est. Rex vivens sepulcrum sibi exstrui jussit *ἐν τῷ δίσσῳ ὄρει*; subinde narratur historiola super eo sepulcro in loco tam male habito et ab excerptore et a librariis, ut manum abstinere satius visum sit.

In Herodoto Darium per eundem dolum regem factum omnes legimus, in l. III, c. 85, sqq. Praeterea autem apud eundem cognoscimus deliberationem inter conjuratos memorabilem super forma regni, qua potissimum in posterum Persis utendum esset. Ingenue sane ipse scriptor confitetur, deliberationem illam a nonnullis negatam esse Graecorum, III, c. 80, *καὶ ἐλέχθησαν λόγοι ἄπιστοι μὲν ἐνίοισι Ἑλλήνων, ἐλέχθησαν δ' ὦν*. Cujusmodi illa fuerit deliberatio, l. c. legas. Deinde quoque mentio fit monumenti, quod Darius memoriae causa equo suo custodique equorum exstruxerit, his verbis incisis: „*Δαρεῖος ὁ Ὑστάσπεος σύν τε τοῦ ἵππου τῇ ἀρέτῃ (τὸ οὔνομα λέγων) καὶ Οἰβάρεος τοῦ ἱπποκόμου ἐκτήσατο τὴν Περσέων βασιληΐην.*" Quod si conferes cum oratione, qua utitur Darius in Inscriptione Behistunensi, quum se victorem Magi profitetur regnique reconditorem, parvae fidei dignum est. Praeterea oratio epigrammatis simplicior est, quam quae fuerit a „rege magno, rege regum." Ne hoc quidem attigissem, nisi testimonio Herodoti in errorem adductus Lassen, sagacitate solita sua invita, Inscriptionem, quam signat litera *H* minus recte interpretatus esset. Vid. Z. f. d. K. d. M. VI, p. 15 sqq. De sepulcro Darii

ἐν τῷ δίσσῳ ὄρει, secundum Ctesiam, multa viri docti diligentissime disseruerunt, quae congesta videbis in Mull. Ctes. pag. 64. Equidem candide confiteor me non clare percipere, quid proprie sit δίσσον ὄρος Graece, neque *duplex mons* Latine, neque *dubbele berg* Belgice. At λίσσον ὄρος [1]) melius quadrat ad rupem indicandam, in quam Inscriptiones Cuneiformes sunt incisae. Utrum autem τὸ λίσσον ὄρος sit mons, qui hodie vocatur Rachmed, an Nakshi Rustam, non diu dubitare opus est. Secundum traditionem popularem sepulcrum Darii est in loco Nakshi Rustam, quod confirmatur per inscriptionem Darii, quae invenitur supra sepulcro ex ordine tertio. Itaque τὸ λίσσον ὄρος erit Nakshi Rustam. Quatenus ceteroquin verum sit, quod ex Ctesia excerptum est de morte parentum Darii, nescimus, neque scire curamus. Subinde in excerpto Photiano sequitur bellum relatum Darii contra Scythas, sed quia ordini orationis magis idoneum putamus, si priore loco tractabimus eam partem historiae Darii, quae spectat ad magnitudinem, divisionem, institutaque imperii Persici illo rege, Ctesiae per breve tempus valedicemus et accurate componere studebimus ea, quae memoriae mandavit Herodotus de imperio Persico, de populis tributariis, de institutionibus Darii cum fonte in hac re oppido quanta fide digno, cum Monumentis scilicet Persicis.

Darius rex factus curam habuit imperium Persicum ordinandi, quo consilio id distribuit in viginti satrapias, quasi dicas, praefecturas. In unam praefecturam plures interdum collocavit populos, singulisque praefecturis de-

---

[1]) Idem conjecere (si hoc quidem *conjicere* recte dicere possimus) Mullerus et Osiander. Qualis, quaeso, ista est explicatio apud Hoeck: „Mons idcirco dictus videtur duplex, quod lunae falcis instar est ab extrema parte." Vid. Mull. Ctes. l. c.

finitum imposuit tributum. Primus inter reges Persarum Darius tributa ordinavit; Cyrus enim ac Cambyses praecessores de tributis pendendis nihil certi constituere, sed loco tributorum subjecti dona afferebant. Populi autem tributarii ex divisione Darii Herodoto ab occidente parte incipienti sunt: 1. Jones, Magnetes, cett. 2. Lydi, Mysi, cett. 3. Phryges, Paphlagones, Syri (Leucosyri videlicet seu Cappadoces). 4. Cilices. 5. Syria (cujus pars Palaestina), Phoenice, Cyprus. 6. Aegyptus cum finitimis regionibus. 7. Sattagydes, Aparytae, Gandarii, Dadicae. 8. Susa, Cissii. 9. Assyria (Babylon). 10. Media, Paricanii. 11. Caspii, Pausi, Pantimathi, Daritae. 12. Bactriani. 13. Pactyica, Armenia. 14. Sagartii, Sarangae, Thamanaei, Utii, Myci, Rubri maris (i. e. sinus Persici) incolae. 15. Sacae, Caspii. 16. Parthi, Chorasmii, Sogdi, Arii. 17. Paricanii, Aethiopes Asiae. 18. Matiani, Saspires, Alarodii. 19. Moschi, Tibareni, Macrones, Mosynoeci, Mardes. 20. Indi.

Hae igitur satrapiae singulae sua pendebant tributa; posteriore autem tempore sicuti addit Herodotus ex Europa quoque insulisque Dario redibant tributa, ex parte quidem Europae usque ad Thessaliam. Deinde aliquot enumerantur populi, non quidem tributa, verumtamen dona ferentes, Aethiopes Africae, Colchi eorumque usque ad Caucasum montem finitimi, denique Arabes. Ex omnibus autem, quos diximus populis, soli Persae ab omni tributo erant immunes. Herod. III, 97.

Herodoto audito, deinceps quaeremus, quaenam nobis super diviso imperio in Satrapias innotent ex testimonio ipsius Darii in monumentis suis tum Persepolitanis tum Behistunensi. Jam primo loco seriem percurremus populorum subditorum in Inscriptione I apud Lassen; Inscriptionem, quae invenitur in loco Nakshi Rustam in

postremum reservabimus, siquidem sine ulla controversia catalogus, quem in ea regionum subditarum invenimus, confectus est secundum distributionem in ultimis Darii annis. Inter duas autem ceteras Inscriptiones, quae seriem exhibent populorum in ditione Persica, utra prioris sit aetatis, mox disputare liceat. Inscriptio, quam Lassen signat I incisa est in parietem regiae Persepolitanae; textus, Latine versus, a vs. 5 haec dicit: „Edicit Darius rex: voluntate Auramazdae hae regiones (sunt), quas ego tenebam cum hoc Persico imperio (*collective*), quae me verebantur, mihi tributum ferebant: Uvag'a, Mâda, Bâbir'ush, Arabâja, Athurâ, M'udrâjâ, Arm'ina, Katpat'uka, Sparda, Jaunâ, [1]) qui terrestres et qui maritimi; et regiones, quae [ab oriente], [2]) Asagartia, Parthva, Zaraka, Hariva, Bâkhtarish, Sug'da, Uvârazm'ija, Thatag'ush, Harauvatish, Hid'ush, Gadâra, Sakâ, Mâka."

De industria omnia nomina regionum in Persica forma reddidimus, quoniam aliquot eorum insunt, quorum nomen Graecum haud sine controversia apud omnes constat. Infra locus erit sententias virorum in his rebus versatorum inter sese pensitandi, quum diverse nomen populi cujusdam in nomen, quo Graeci et Romani utebantur, transferunt. Hoc tamen ex inscriptione, quam supra exscripsimus apparet, numerum regionum universim esse 23 si vocabulum *par'uvja* (i. e. ab oriente) legimus cum Benfeyo, at contra 24 earum fuisse, si facimus cum Lasseno

[1]) Sic pronuntiandum puto pro vulgari Junâ, nam sic legere nihil obstat, et concentus scriptorum Graecorum aliquid habet ponderis.

[2]) Neque lectio, neque interpretatio hujus vocabuli satis certum est; reddo interpretationem Benfeyanam. Lassen vero legit in loco paulum depravato: *Parutja.*

legenti *parutja* i. e. Parutia, cujus incolae regionis apud Herodotum dicuntur Ἀπαρύται. Vid. Z. f. d. K. d. M. VI, p. 53, 54. coll. ibid. p. 60, 61.

Seriem paullo breviorem invenimus in Col. I, text. Rawlins. vs. 12 sqq. „Edicit Darius rex: hae (sunt) regiones, quae mihi obvenerunt; voluntate Auramazdae ego earum rex eram: Pârsa, Uvag'a, Bâbir'ush, Athurâ, Arabâja, M'udrâja, qui maritimi, Sparda, Jaunâ, Arm'ina, Katpat'uka, Parthva, Zaraka, Hariva, Uvârazm'ija, Bâkhtarish, Sug'dâ, Saka, Thatag'ush, Harauvatish, Maka, in universo regiones 23 (?)."

Plures autem, quam in utraque inscriptione regiones enumerantur in inscriptione sepulcri Darii apud Nakshi Rustam. Vid. N. R. apud Lassen, ubi haec leguntur: „Edicit Darius rex, voluntate Auramazdae hae regiones (sunt), quas ego acquisivi praeter Persidem; mihi ab iis parendum est [1]), mihi tributum afferebant, omnia iis a me edicta [2]) faciebant, imperatum quod a me, hoc ab

[1]) Dissideo h. l. a Benfeyo, cujus interpretationem maximam partem secutus sum. Vir enim eruditissimus ac subtilis vocabulum *patijakhshija* vertit per: *adorandus*, commotus, credo, auctoritate Graecorum, qui absurdissima de rege Persarum fabulari ausi sunt. An unum exemplum occurrit, quod ullus rex Persarum divino se honore coli jussit? Darius certe, qui Auramazden adorabat, istiusmodi adorationem non passus erit. Equidem vero *patijakhshija* credo ex eodem verbo, quo vult Benfey. Pro significatione tamen malim: *parere;* Substantivum enim *jadâ* in Col. III, 26, non tam *cultus* est, quam *obedientia.*

[2]) Superest *athag;* Lassen conjecit *athaginam*, sequitur Benfey. Res dubia est, sed sine dubio *athag* initium esse debet vocabuli, quod exprimit: *edictum.* Cf. Col. I, text. Rawl. 23, 24, ubi legitur: jathâshâm. hachâma. athahja. avathâ. ak'unavajatâ. Inde apparet, *athag* fuisse nostro loco partem priorem aut Participii aut Substantivi derivati a verbo *âthah=edicere*, eodem fere sensu quo simplex *thah.* De sensu vocabuli depravati nulla esse potest contentio, patet enim ex contextu.

iis tenebatur: Mâda, Uvag'a, Parthva, Hariva, Bâkhtarish, Shug'uda, Uvârazm'ish, Zaraka, Harauvatish, Thatag'ush, Gadâra, Hid'ush, Sakâ Humava[tj]â, Sakâ Tigrak'udâ, Bâbir'ush, Athurâ, Arabâja, M'udrâja, Arm'ina, Katpat'uka, Sparda, Jauna, Sakâ, qui transmarini, Sk'udra, Jaunâ, Takbarâ, Pu—â, K'ushijâ, Mâdijâ, Karakâ."

Si eam seriem multo longiorem cum duobus aliis comparabis, reperies multa populorum nomina esse addita a *Sakâ* usque ad *Karakâ*, in Inscript. N. R. 28—30. Unde collegimus, hanc partem in N. R. ultimam, et in ceteris ignotam, continere populos, quos Darius, jam aliquot regni annis praeterlapsis, subjecerit. Cetera nomina in N. R. a 22—28 non multum differunt a nominibus in Inscript. J. Lassen. et Col. I Rawl. Singulas autem inter sese et cum Herodoto componemus inscriptiones. In inscriptione, quam attulimus primam, quamvis non prima sit quod attinet ad tempus, quo sit confecta, in Inscript. I, ordo enumerationis est talis, ut initium fiat in terris Persidi adjacentibus progrediamurque ab oriente ad occidentem. Prima regio est Uvag'a sive Susiana. 2ª Mâda sive Media. 3ª Bâbir'ush sive Babylon. 4ª Arabâja sive Arabia. 5ª Athurâ seu Assyrii. 6ª M'udrâjâ seu Aegyptii. 7ª Arm'ina seu Armenia. 8ª Katpat'uka seu Cappadocia. 9ª Sparda seu Sardes, (Lydia). 10ª Jaunâ seu Jones, qui terrestres et qui maritimi. 11ª Asagarta seu Sagartia. 12ª Parthva seu Parthia. 13ª Zaraka seu Sarangia (vulgo Drangiana). 14ª Hariva seu Aria. 15ª Bâkhtarish seu Bactria. 16ª Sug'da seu Sogdia. 17ª Uvârazm'ija seu Chorasmia. 18ª Thatag'ush seu Sattagydia. 19ª Harauvatish seu Arachosia. 20ª Hid'ush seu India. 21ª Gadâra seu Gandaria. 22ª Sakâ seu Scythae. 23ª Maka seu terra Mycorum sive Macarum.

Ex his plurima nomina tam facile sunt agnoscenda ex formis Persicis, ut non opus sit ea explicare; quae vero dubia movere poterunt, expromemus. Primo loco nomen legitur Uvag'a pro regione, quae a Graecis dicitur Susiana. Lassen in Z. f. d. K. d. M. VI, pag. 47, 48, Herodoti fretus testimonio per Cissiam et Susa unam eandemque regionem designari putat. Apud scriptores Graecos igitur, de sententia Lasseni, et Cissii et Susii vocantur incolae regionis Susianae. Praeter illos duos populos autem ego tertium populi nomen in eadem regione repperisse mihi videor; quod nomen est Οὔξιοι. Arrianus mihi argumentum praebet. In l. III, 17, 1 Anab. legimus, Alexandrum, Susis profectum et Pasitigri trajecta, invadere in terram Uxiorum; partem igitur incolunt Uxii terrae Susianae, proxime Persidi adjacentem. His autem Uxiis finitimi erant Cossaei; vid. Anab. VII, 15, 1, ἐπὶ Κοσσαίους, ἔθνὸς πολεμικὸν, ὅμορον τῷ Οὐξίων. Cf. quoque l. III, 8, 5, ubi dicitur Oxathres dux Susiorum et Uxiorum. Satis itaque demonstravimus, terram Susianam ab his incultam esse populis, Susiis, Cossaeis, Uxiis. Cossaei autem iidem, qui apud ceteros vocantur Cissii sint necesse est; *Cossaei* est melior forma, ut apparet ex hodierna nomine pro tota terra, quae eos tres populos continebat, *Khuzistân* scilicet. Itaque tria habemus nomina: Susios sese ipsi appellabant ii qui proximi ad Babyloniam habitabant; Cossaeos alia pars populi; haec nominis forma adhuc valet in Khuzistân; tertia denique pars quae proxima erant Persis, eodem nomine utebantur, quo eos nuncupabant Persae, Οὐξίοις videlicet seu Persice Uvag'ija. Cf. Strabon. pag. 524. Athurâ convenit cum Assyriis eodem pacto quo Thatag'ush cum Sattagydia. Strabo regionem novit Ἀτουρία, de qua vide Z. f. d. K. d. M. VI, pag. 48. Aturia

Assyria esse videtur, antiquis, arctis limitibus circumscripta.

Sparda cum Lasseno habeo pro *Sardes*. Z. f. d. K. d. M. VI. p. 50. Benfey vult Spartam, sed si hoc concederemus, ubi maneret praefectura Lydia, satis magna. Atque unde nomen unius urbis Spartae tantopere apud Persas invaluit, ut eo nomine pro dimidio Graecos appellarint? Athenienses magis noti Persis fuisse debent quam Spartani, in illis certe temporibus, de quibus nunc sermo est.

Zaraka est regio eorum, qui ab Herodoto dicuntur Sarangae, ab Arriano Zarangaei et Drangae confuse, a ceteris Drangae; regio vocatur Drangiana. Vid. Z. f. d. k. d. M. VI. p. 55.

Maka, Lasseno auctore est terra, cui hodie nomen est *Makran;* apud Herodotum incolae dicuntur Μύκοι l. III, 93 (v. l. Μέκοι) Strabo vero in l. XVI, 3, p 763 eos vocat eodem nomine, quo Persae, Μάκας, eosque locat ad sinum Persicum et mare Rubrum. Eosdem populos eundemque ordinem enumerandi invenimus in Col. I. text. Rawl. 12 sqq. Prima et princeps regio est Pârsa. Deinde 2a Uvag'a, 3a Bâbir'ush, 4a Athurâ, 5a Arabâja, 6a M'udrâja; — verba quae sequuntur, „*qui maritimi*" mox quaeremus, quo referenda sint — 7a Sparda, 8a Jaunâ. 9a Arm'ina, 10a Katpat'uka, 11a Parthva, 12a Zaraka, 13a Hariva, 14a Uvârazm'ija, 15a Bâkhtarish, 16a Sug'dâ, 17a Saka, 18a Thatag'ush, 19a Harauvatish, 20a Maka.

Differt haec series ab illa primo loco, quod in hacce desideramus *Mediam*, quae in Inscript. I est regio ordine secunda. Sed in Col. I, invenitur *Persis;* quae certo Mediam simul comprehendebat. Major autem difficultas inest in verbis Col. I vs. 15, „*tjija darajahjâ*, i. e. *qui maritimi*. Benfey difficultatem sic solvere conatur, ut

lapidarium mendose ante verba: *tjija darajahjâ* omisisse putet verba, quae legimus in Inscr. I „*tjija ushkahjâ.*" Quam vero exili fundamento illa sententia nitatur, ostendere studebo. Licet sane alia vitia lapidarii occurrant, illius modi omissio commissa mihi major videtur, quam ut sine aliis argumentis temere id concedere liceat. Deinde in Inscr. I verba „*tjija ushkahjâ utâ tjija darajahjâ*" locum habent *post* nomen Proprium Jaunâ, ad quod solum pertinere possunt; at vero in Col. I *ante* „Sparda, Jaunâ," leguntur „*tjija darajahjâ;*" cujus constructionis nullum aliud exemplum exstat in sermone Inscriptionum [1]). Porro tamquam demonstratum ponitur, quod per Sparda significatur Sparta. Sed etiamsi concederemus, per Sparda intelligi Spartam, vel sic verba „*tjija darajahjâ*" pertinere nequeunt ad Sparda, nam id non est in Numero Plurativo, i. e. nomen gentis non reddit, sed nomen regionis vel loci, quia in Singulari Numero legitur. Hanc sane difficultatem effugere possumus, quum „Sparda Jaunâ" habemus pro composito, itaque significare, quasi dicas: Spartoiones. Conferas tamen Inscript. N. R. 28 ubi et Sparda et Jauna sunt nomina regionis; eodem igitur loco „Sparda Jauna" valeret tamquam Spartaionia, quod nomen Persas *Ioniae in Asia* indidisse mihi nequaquam persuadere possum. Vid. Benfey, d. P. K. pag. 8. De industria dixi *Ioniam in Asia*, quia ex reliqua serie in Col. I patet, eam esse confectam tempore, quo Darius nondum expeditionem in Scythas atque in Graecos susceperat. Sin autem Benfey se arbitrari ipse testatur l. c., Spar-

---

[1]) Quamvis sermo, quo Inscriptiones utuntur, non excultus a literatis ac poetis videatur, ejus modi tamen licentiae, quibus omnis perspicuitas tolleretur, non admittendae sunt sine argumentis vel maxime gravissimis.

dajaunâ, i. e. Spartaiones nomen fuisse *universim Graecorum* tum sane controversiam dirimit, sed victus abeat necesse -est.

Quid tunc, inquies. Sententiam meam in medium proferam, eam non pro certa venditare cupiens, sed talem ducens quae sermoni Inscriptionum et rei naturae magis consentanea sit, et, quum inter duas difficultates optionem facere nos oporteat, rationi congruum est, minorem earum praeferre. Equidem verba „tjija darajahjâ" potissimum sic explicarem, ut nulli essent apposita nomini proprio, verum per sese ipsa satrapiam unam significarent. Grammatica non obstat; nam plura exempla afferam, quibus pateat, Pronomen *hja* esse Articuli instar. Vid. e. g. Col. II, 20, 21, ubi haec: „avam. kâram. tjam. Mâdam. g'atâ.," Latine: „illum exercitum Medicum caedite." Clarum est, *hja* h. l. non vim habere Pronominis Relativi, nam in eodem casu ponitur, quo *kâram* et *Mâdam.* Plura exempla passim. Igitur „tjija darajahjâ," i. e. *maritimi* (de zeebewoners) satrapia fuisse potest, quae continebat Cyprios, insulanosque in mari Aegaeo; verisimiliter adjuncti erant Phoenices. Vehementer mirum esset, si regiones illae ex quibus rex Persarum totum suum exercitum classiarium habebat non commemoratae essent. Ipsum nomen: *maritimi*, egregie aptum erat ad eos denotandos, qui copias navales regi Persarum praebebant.

Deinde a maritimis, Phoenicibus scilicet, de mea sententia, et Cypriis, et insulanis in mari Aegaeo, pergit oratio ad Sparda seu Lydiam, Ioniam, Armeniam, Cappadociam et sic porro eodem prope ordine, quo in Inscr. I. In hac vero trium regionum facta est mentio, quae in Col. I non nominantur; sunt Asagarta seu terra Sagartiorum, Hid'ush seu India, Gadâra seu Gandaria.

Quare Asagarta in nomenclatura Col. I non reperiatur non assequor; nam procul dubio Asagarta jam tempore, quo Inscriptio Behistunensis confecta est, in Persarum erat ditione. Rebellio enim in Asagarta memoratur, duce K'ithratakhma, in Col. II, 78—91 text. Rawlins. Igitur jam pridem Asagarta subacta erat. Num res sic explicanda est, ut propter eandem rebellionem Darius postea tutius ratus sit, si Sagartiis, rerum novarum cupidis, satrapam praeficeret, qui sedem regni in iis ipsis, non in populo finitimo haberet? Reliquae regiones India et Gandaria recentiore tempore subactae videntur; hoc certum est de India, [1]) teste Herodoto in l. IV, c. 44. De Gandariis Herodotus tacet, sed quoniom populus erant Indicus, etiam eos simul cum Indis a Dario subjectos esse credere licebit. Ex additis in Inscript. I Indis et Gandariis sine controversia prodit, catalogum populorum in Inscriptione Behistunensi eos tantum comprehendere populos, qui jam ante Darium regem Persis erant subditicii. Igitur ex tribus catalogis is in Col. I Inscrip. Beh. est primus confectus, sequitur Inscriptio I, denique inscriptio in sepulcro Darii apud Nakshi Rustam. Attendas quoque formulam, qua utitur Darius in Inscript. Beh. differre a verbis in Inscrip I; ibi enim dicit: „hae sunt regiones, quae mihi obvenerunt", (ubi, videlicet, rex factus sum); hîc autem: „hae sunt regiones, quas ego acquisivi." Jam ad tertiam seriem, in Inscript N. R progressi sumus, difficultatibus repletam. Primum omnia ordine procedunt; incipit series in vs. 22 in Media, sequitur Susia, tum convertitur ad orientem. Parthia, Aria et Bactria, regiones sunt sese continuo excipientes

[1]) Non opus est admonitu, me per *Indiam* non intelligere totam Indiam, sed terram ad Indum flumen.

linea recta ab occidente ad orientem. Confinis Bactriae a septentrione est Sogdiana, adjacet Sogdianae Chorasmia, in qua regione finis est imperii Persici. Inde series nova incipit in Sarangia (Drangiana), Arachosia, Sattagydia, Gandaria, India; tum sequuntur duae gentes Scythicae, de quibus mox inquiretur; serie denuo ad fines imperii perducta et ordine rupto, porro aliquot regiones in parte occidentali, sibi continuo confines enumerantur, Babylon, Assyria, Arabia et Aegyptus. Deinde transsilit series ad Armeniam, Cappadociam, Sardes (Lydiam), Joniam. Porro nomine leguntur Scythae transmarini. Tum sequuntur populi, qui a Persis vocantur: Sk'udra, Jaunâ, Takbarâ, Pu— —â, K'ushijâ, Mâdijâ, Karakâ. Nullum ex his nomen evidenter explicare possumus, ne quidem repperimur, ubi illi habitarint populi. Verisimiliter eorum sedes fuit ad Pontum Euxinum, sed quinam singuli sint adhuc incertum. Affatim conjecturarum sunt; Sk'udra, de sententia Lasseni est regio Scytharum Europae; idem nomen componit cum Σκύθης, quod primum nomen fuerit tribus Scythicae, proinde ac Saka. Illud apud Graecos, hoc apud Persas pro nomine generali praevaluit; Vid. Z. f. d. K. d. M. VI, p. 95 sqq. Sic suspicatur Lassen, sed nihil nisi suspicionem illum protulisse vides. Jaunâ, i. e. Graeci, sequuntur; quinam autem Graeci? Coloni in littore Thraciae, et Thessali, aut coloni circa Pontum Euxinum? Si Takbarâ pertineret ad Jaunâ, tum sententia Benfeyi aliquam speciem haberet, eos scilicet esse Graecos Tauricos. Quum autem ne hoc quidem constet, Takbarâ significare *Tauricos*, adhuc sub judice lis manet. Pu—â infeliciter depravatum est. K'ushijâ judice Lasseno sunt Cossaei in finibus Mediae, Mâdijâ eidem pars est Medorum. De sententia autem Westergaardii Lassen ex-

plicare Mâdijâ porro mavult per Matianas, Karaka (Karkâ) per Colchos.

Benfey, quod supra jam verbo attigimus, Takbarâ appositionem credit vocabuli Jaunâ; denotaret igitur Iones seu Graecos Tauricos, i. e. colonos Graecos ad Pontum Euxinum. Ceteros idem populos collocat in Thracia; Mâdijâ ei sunt Maedi ad Strymonem fluvium, K'ushijâ sunt Gaudae, Pu—â aliquantum convenit cum Pyrogeris, Karakâ denotat Χαλκιδικοὺς in Macedonia. [1]) Aliam autem interpretationem ex communicatione Clarissimi Grotefend exhibet idem Benfey in d. P. K. in pagina, qua continetur *Nachträgliches* post Prooemium; Pu—â sint Bosporani, K'ushijâ iidem, qui Cosaci apud Tanain, Mâdijâ erunt (Sar)mâtae, Karakâ denique Κερκέται. Ad hocce autem obiter annotabo, nomen K'ushijâ non quadrare posse ad eos, qui hodie vocantur Cosaci, de pluribus quidem causis, et maxima quidem, quoniam Cosâci nomen est populo in recentiore aevo inditum et appellativum, significans *Caprearum pastor;* is enim est sensus vocabuli Kozák in lingua slavica.

Omnium, quos diximus virorum sententias niti suspicionibus, statim percipies; attamen haud sine ratione illi populi partim collocantur circa Pontum Euxinum et propter ordinem in enumerando, et propterea, quod illorum nomina in duabus ceteris Inscriptionibus plane desiderantur. Itaque per ea intelligi videntur ii populi,

---

[1]) Benfey, in d. P. K. pag. 60. „Die Medi am Strymon könnten die Mádijá sein, die Gaudae am Ister die Khushijá, die Pyrogeri am Hebrus die Pu—á. Doch bleiben diese Bestimmungen bei dem Wechsel der Völkerpräponderanz in dieser Gegend natürlich ganz unsicher und es lassen sich auch andre Namen substituiren. Karaká dagegen möchte ich mit *Χαλκίς* der Hauptstadt von *Χαλκιδική* in Macedonien indentificiren, zumal da Herod. I, 57 *Χαλκιδικὸν γένος* hervorgehoben wird,

quos Darius sibi subegit, vel se subegisse prae se tulit in expeditione adversus Scythas. K'ushijâ vero erunt Aethiopes, nam *Khuz* est nomen Aethiopibus a populis orientalibus inditum. Si porro *Karkâ* erunt Colchi, ordo enumerandi explicari poterit ex Her. III, 97, quo legimus, Aethiopes et Colchos esse non tributarios, sed dona ferentes. *Mâdijâ* erunt Matiani, nam non soli Colchi dona ferebant sed, ut Herodoti verbis utar *καὶ οἱ προσεχέες μέχρι τοῦ Καυκάσιος οὔρεος*, l. c. Matiani vere finitimi Colchis dici possunt

Adhuc aliquid dicendum restat de duabus Scythicis gentibus in Inscr. N. R. 25. Lectio apud priorem gentem non constat; Lassen legit Sakâ Humava[rg]a, Benfey vero Humava[tj]â. Ille explicat per Scythas 'Αμυργίους, hic autem per „Scythas, ad Imaum montem habitantes." vid. d. P. K. pag. 59. Explicatio Benfeyana hac laborat difficultate, ut non facile expediatur, quomodo quae forma esset Sanscritica *Himavatjâs* in lingua Persica sonaret Humavatjâ cum litera *u* pro *i*; quae difficultas ne ipsum quidem virum eruditissimum latet. At Lasseni propositio minorem etiam habet speciem quod spatium liturae non admittit signa *r*. *g*., neque prima litera in 'Αμύργιοι convenit cum Hu in Humavargâ. Vid. Z. f. d. K. d. M. VI, pag. 94. Res igitur nondum composita; mihi nihil in mentem venit, quo difficultas sit diluenda. At quod ad Sakâ Tigrak'udâ attinet, gens Scythica esse debet ad Tigrim habitans; derivationem vocabuli, a Benfeyo propositam, videas in d. P. K. pag. 54. Situs geographicus hujus populi erit in regione Sacasene Armeniae, quae tamen latius patuisse debet, quam eam facit Strabo, aut sedes Tigrak'udorum non erat in Sacasene. Vide Strab. XI, 8. Tribus, quos attulimus Inscriptionibus inter sese compositis, earum testimonium cum Herodoti conferendi locus

erit, atque in hoc negotio alterum fontem ex altero complere nobis quam maxime cordi erit.

Initium facit Herodotus ab occidente, inde pergens ad orientem; satrapias ejus (νομούς) subjecimus compositas cum Persicis.

SATRAPIAE HERODOTEAE SUNT:	CONVENIT PRAEFECTURA PERSICA:
1. *Iones*, Magnetes, Aeolenses, Cares, Lycii, Milyenses,. Pamphili.	Jauna.
2. Mysi, *Lydi*, Lasonii, Hygennenses.	Sparda (Sardes).
3. Hellespontii, Phryges, Thraces Asiae, Paphlagones, Syrii, (Leucosyrii seu *Cappadoces.*)	Katpat'uka; tres priores populi annumerati fuerint Lydiae.
4. Cilicia.	Adjuncta Cappadociae.
5. *Phoenice*, Palaestina, *Cyprus*.	*Maritimi*, (tjija darajahjâ) Cf. pag. 51. Palaestina pars fuerit Babyloniae.
6. *Aegyptus*, Cyrene, Barce.	M'udrâja, Hebr. Mizraim.
7. *Sattagydes*, *Gandarii*, Dadicae, Aparytae.	{ Thatag'ush. Gadâra
8. Susa sive terra Cissiorum.	Uvag'a.
9. *Babylon* et *Assyria*.	{ Bâbir'ush. Athurâ.
10. *Media*.	Mâda.
11. Caspii, *Pausi*, Pantimathi, Daritae.	Saka? (Scythica terra in universum) Pu—a?
12. *Bactria*.	Bâkhtarish.
13. Pactyica et *Armenia*.	Arm'ina.

14. *Sagartii*, *Saranges* Thamanaei, Utii, *Myci*.	Asagarta. Zaraka. Maka.
15. Sacae et Caspii.	Sakâ (Tigrak'udâ?)
16. *Parthi*, *Chorasmii*, *Sogdi* et *Arii*.	Parthva. Uvârazm'ija. Sug'uda. Hariva.
17. Paricanii et Aethiopes Asiae.	Maka.
18. *Matiani*, Alarodii, Saspires.	Mâdijâ?
19. Moschi, Tibareni, Macrones, Mosynoeci.	?
20. Indi.	Hid'ush.

His viginti praefecturis seriore aetate, ex Herodoti testimonio, addita est Europae pars usque ad Thessaliam, unde regi Persarum tributa redibant; huc autem referendi sunt *Jaunâ*, Graeci in N. R. Deinceps Herodotus populos memorat, qui dona, non vero tributa ferebant, de quibus vide hujus commentationis pag. 55.

Herodoti testimonis cum documentis Persicis comparato, inquirere nos oportet, quatenus pater historiae vera literis mandarit, atque indagare ad quem potissimum modum diversitas in divisione regionum sit explicanda. Utrum historicus veritatis amicissimus divisionem imperii Persici nulla ratione tradiderit, an enumeratio regionum in Darii monumentis magis spectet ad situm

---

[1]) Non tamen tota India significatur, sed regio, Indo fluvio adjacens. Nomen India a Graecis ex Persico sermone desumptum, apud illos invaluit pro tota regione quam adhuc nos Indiam vocamus.

geographicum, quam ad satrapiarum tributorumque distributionem inquiremus. An satrapiarum quoque conditio saepius mutata est? Si seriem Herodoteam accurate inspiciemus, ordine quodam ea ac ratione confecta nobis apparebit. Aliquot populi confines in unum collati unam efficiunt praefecturam; etiam populi inter sese magno remoti spatio. Ad quam autem normam distributio facta sit, hac de re ex ipso Herodoto nihil comperimus; non vero ad magnitudinem spectasse rex Persarum videtur, nam 6ª praefectura, Aegyptum amplexa, Libyae partem, Cyrenen ac Barcam multo major est quam Cilicia seu 4ª praefectura. Neque ratio habita videtur opum regionis alicujus vel copiarum. Attamen animum non inducere possum, Herodotum nulla ratione nulloque argumento divisionem finxisse. At in Inscriptionibus, contendet quis, et cum specie quidem veritatis contendet, nomina inveniuntur regionum vel populorum ex diversitate situs geographici vel gentis, non vero nomina sunt satrapiarum. Neque Darius dicit, „hae sunt satrapiae meae," sed „hae sunt regiones." [1]) Huic autem id obstat sententiae, quod a Dario diligenter additur, eas regiones sibi ferre tributa; id spectat opinor, ad divisionem in satrapias. Nam si regiones in catalogis Persicis enumeratae non essent praefecturae, quare tum Darius non addidisset complures alias regiones, quae sub ditione sua erant, atque ab ipso hic illic commemorantur? Exemplum afferamus. In Col. II, 7, III, 11, IV, 25. I. 5 text. Rawl. regio occurrit, quae Persice nuncupatur *Marg'ush*, procul dubio Mar-

---

[1]) Vocabulum Persicum est *dahju*, et in universo significat *regionem*. Vocabulum vero *Satrapia* in textu Persico nondum reperitur, quamquam *Satrapa* occurrit sub forma *khshathra-pâvâ*, in Col. III, 14, ubi mentio fit Satrapae Bactriae, nomine Dâdarshish.

giana. [1]) Contra Margianos rebelles a Dario missus est Dâdarshish, Bactriae Satrapa, Col. III, 14. Haec autem Margiana etiam *dahju*, *regio* appellatur, sed inibi non fuisse sedem Satrapae apparet luce clarius ex additis in Col. III, 13, verbis „tum ego demisi Dâdarshish nomine Persam, ministrum meum, Bactriae Satrapam adversus istum (*ducem defectorum*)." Hoc igitur unum exemplum sufficit, credo, ad demonstrandum, Darium in ll. cc. Inscriptionum in Col. I, I et N. R. nomina reddidisse praefecturarum, aut certe populorum, qui praecipui erant in quaque quisque Satrapia.

Alterum exemplum afferre lubet, non tam ad sententiam nostram illustrandam, quam quia occasio se praebebit, rebellionem narrare contra Darium satis ut videtur gravem. Locus ex Col. III, 22 sqq. descriptus Latine haec dicit: „Quidam homo (fuit), Vahjazdâta nomine; Târvâ nomine urbs est in Jutija nomine regione Persidis; ibi habitabat. Iste denuo [2]) insurrexit in Perside (et) exercitui (seu parti militanti incolarum) sic locutus est: ego Bard'ija sum, Cyri filius. Tum exercitus Persicus, qui in illa terra (erat), ab obedientia (mei) discessit; is a me descivit, ad istum Vahjazdâtam transfugit; iste rex erat in Perside. Edicit Darius rex: tum ego exercitum Persicum et Medicum misi, qui a mea parte stabat. Artavard'ija nomine Persa (fuit), minister meus;

---

[1]) Commutata litera *u* (Marg'ush) in *i* (Margiana) facillime explicatur, si tenebis Adjectivum a substantivo Marg'ush Persice sonare tum *Mârgaja* tum *Mârgava*.

[2]) Sensus, quem verbatim ex Persico reddidi est hic: Vahjazdâta secundus fuit, qui se Smerdin fingens, rebellionem excitavit. Ea de causa interposui (*et*); non autem sibi vult Darius: Vahjazdâta id temporis iterum rebellavit. *D'uv'itijam* enim tam ad *athaha* est referendum, quam ad *udapatatâ*.

hunc eorum ducem feci. Alter exercitus Persicus me secutus est in Mediam. Tum Artavard'ija, cum exercitu profectus est in Persidem; quum is in Persidem venisset — Rakhâ nomine urbs est Persidis — ibi iste Vahjazdâta, qui Bard'ijam se nuncupabat, tetendit cum exercitu contra Artavard'ijam proelium consertum. Tum proelium inierunt. Auramazdes mihi opem tulit; voluntate Auramazdae exercitus meus istum exercitum Vahjazdâtae cecidit vi." Pergit Darius in narrando, Vahjazdâtam inde fugere Pishijâuvâdâm; deinde, manu sibi comparata istum in proelio contra Artavard'ijam vinci; quo facto captus est, et postea interfectus. Ex tenore narrationis apud Darium prodire videtur, regionem Jutijam sitam fuisse Persidem inter et Mediam. Sed Graeci scriptores ejusmodi nominis terram non memorant. Herodotus quidem populi meminit *Οὐτίων*, qui quod ad sonum vocis, profecto non multum differunt ab illo Jutijâ, sed quum Herodotus in l. III, 93. Utios collocet cum omne genus populis, Thamanaeis, Sagartiis, Mycis, nihil pronuntiare audemus.

Ne a proposito longius aberremus, haec sufficiant ad demonstrandum, vocabulum *dahju* pertinere ad multas regiones imperii Persici, quarum nomen non legitur in catalogo ll. cc. Monumentorum. Ex omissis autem tot regionibus colligimus Darium seriem prodidisse praefecturarum. Numeri earum neque in tribus catalogis sibimet ipsis constant, neque accurate conveniunt cum Herodoteo numero. Discrimen vero est oppido parvum, et omnia recte se habebunt, si pro viginti praefecturis fuisse dicemus prope viginti. Manifesto Herodotus alio usus est catalogo, ac quem in Monumentis reperimus, catalogo tamen, arbitror, qui per aliquod tempus valebat tamquam ex ipso rege profectus. Haud enim, ut supra

dixi, in animum inducere possum, parentem historiae, in minutissima quidem tam diligenter accurateque inquirentem, nulla ratione adhibita catalogum suum pepigisse. Non vero mirum, si aliquando lapsus sit (quamquam ne hoc quidem ex comparatis catalogis Persicis nobis judicare licet), lapsus sit, inquam, quippe cui documentis Persicis per imperitiam linguae uti non licuerit. Eum autem sermonis Persici prorsus fuisse ignarum, loco opportuno ostendam.

Hisce disputatis, inquisitionem faciemus in historiam Darii, et Persarum, eo regnante, et quaeremus, quatenus diversa de ea testimonia conjungi possint. Eandem qua praecedentia tractavimus rationem sequemur. Initium igitur erit in narratione Ctesiana, quae de expeditione Darii in Scythas haec nobis tradit. Ariaramnes Cappadociae Satrapa regis jussu in terram Scytharum trajecit, ut viros feminasque captivos duceret. Quum triginta navibus quinquaginta remorum trajecisset, imperatum exsecutus est, interque captivos duxit Marsageten, Scytharum regis fratrem, quem a fratre in vincula conjectum Persae invenerant. Scytharbes rex Scytharum ira commotus ad Darium superbe scripsit, et simile tulit responsum. Darius, exercitu octingentorum millium coacto, pontes supra Bosporo et Istro trajecit et per quindecim dies progressus est. Scythae vincunt, Darius fugit, magna exercitus parte relicta; Chalcedonii a rege Persarum puniti, quoniam pontem dissolvere tentaverant, aramque quam rex transiens Jovi Diabaterio dedicaverat, everterant. Ad istum modum bellum in Scythas narratur sine ulla cohaerentia, cujus rei culpa tamen non cadere debet in Ctesiam. Illico sequitur bellum cum Graecis, causa belli omissa, quod, quia singulae potius tractandae res nobis videntur, postea tractabimus.

Secundum Herodotum Darius Scythis arma intulit, ut

injurias, quibus ex Scythis Medi affecti essent, ulcisceretur. L. IV, c. 1. Ipse exercitum rex duxit. Susis profectus, tandem venit ad Bosporum, quem ponte junxit. Bosporo deinde trajecto ad littus duas rex posuit columnas, in quas incisa erant, in alteram literis Assyriis, in alteram Graecis, nomina omnium populorum [1]), quos secum traxit. Numerus exercitus erat septingentorum millium, classiariis exceptis. Darius progressus, quum Istrum ponte junxisset, eumque Ionibus custodiendum reliquisset, Scythas continuo retro cedentes insecutus est donec impatiens ad Idanthyrsum, Scytharum regem nuntium mitteret, ut aut dimicaretur aut se dederet. Quid Idanthyrsus responderit, vide in Her. IV, 127. Post proeliola nihil decernentia Darius dona illa a rege Scytharum accepit, et Gobrya auctore, qui recte doni significationem interpretatus erat, retrocedere statuit. Nequicquam igitur expeditio suscepta erat, ac nisi Histiaeus Istri pontem servasset, misere rex Persarum cum toto exercitu a Scythis occisus fuisset. Per Thraciam Darius itinere facto Sesto in Asiam trajecit, Megabazo duce in Europa relicto.

Justinus super bello, a Dario adversus Scythas gesto, valde brevis est. Ei causa belli est, quod Darius filiam Iancyri, Scytharum regis, frustra sibi in matrimonium poposcerit. Rex Persarum deinde cum septingentis millibus Scythiam ingressus, quum non facerent hostes pugnae potestatem metuens, ne interrupto Istri ponte, redi-

---

[1]) Hoc loco Her. l. IV, 87, testimonium Herodoti habemus de inscriptionibus, cum Assyriis literis incisis. Argumentum hujus inscriptionis ad Bosporum convenit cum argumento Inscrip. I apud Lassen, quae nihil ferme continet nisi populos subjectos enumeratos.

tus sibi intercluderetur, amissis octoginta millibus hominum trepidus refugit.

Quae apud Ctesiam legimus relationem Herodoteam quasi supplere possunt; nam ab illo solo mentio injecta est expeditionis Ariaramnae, satrapae Cappadociae, in Scythas; in quamnam autem Scytharum partem, non dilucide ostenditur, sed quia Ariaramnes erat satrapa Cappadociae, itaque expeditio ex Cappadocia suscepta est, ii Scytharum, meo judicio, intelliguntur, qui in Chersonneso Taurica aut in vicinia habitabant. Hoc vero obstat, quod infra dicuntur copiae a Dario relictae caesae ab eodem Scytharbe, cujus fratrem Marsageten Ariaramnes captivum duxerat. Sed haec, quamvis ita sint, non excludunt opinionem, ex qua Scythae, in quos missus erat Ariaramnes habitarent prope Chersonnesum Tauricam. Cur enim ex Cappadocia profecta foret expeditio? Confirmatur ea opinio ex Ctesia, quum paullo porro dicitur § 18. „Δᾶτις δὲ ἐπανιὼν ἐκ Πόντου" Graeciam aggressus est. Igitur Persae in Ponto quoque bellum gesserint necesse est. Res mihi sic explicanda videtur. Constitutum fuit, ut ab altera parte Ariaramnes, ab altera Darius Scythas premeret, atque ad deditionem cogeret; Ariaramnae res prospere successit, Darius autem refugere coactus est. Si conferemus Inscript. N. R. suspicio nos subit, aliquot gentes Scythicas revera in potestatem redactas esse regis Persarum, majorem tamen partem libertatem tuitos esse. Infeliciter omnia nomina in N. R. post verba „Scythae transmarini" tam obscura sunt, ut ex meris conjecturis assequi conemur, quinam populi a Dario in bello Scythico subacti sint. De ipso bello Monumenta nobis nullam lucem afferunt. Neque mirum esset, Darium de fortuna sua adversa tacere maluisse, sed vera causa, quod in Monumentis nihil habemus, ad bellum Scythicum per-

tinens, est quia Inscriptio Behistunensis ante expeditionem confecta est, et ceterae inscriptiones omnino res gestas non continent. An ut aliae reperiantur futurum sit inscriptiones, quibus alia, quam adhuc cognovimus, facinora Darii, contineantur, tempus docebit. Breviter tractare liceat monumentum, quod Herodotus Darium apud Tearum fluvium exstruxisse dicit in l. IV, 93, quod monumentum his ornatum fuerit verbis: „Teari fluvii fontes aquam praebent praestantissimam ac pulcherrimam omnium fluviorum; et ad eos venit, exercitum in Scythas ducens, vir praestantissimus ac pulcherrimus omnium hominum, Darius Hystaspis, Persarum universaeque continentis rex." Percipis autem, quam haec absurda sint in ore illius, qui imperium suum prudenter in Satrapias divisit. Fieri potest, ut Darius columnam erexerit, sed profecto non tali jactatione, tam absurda, tam puerili ornatam. Herodotus columnam istam certo ipse non vidit, inde ei ignoscere possumus, verumtamen non negandum est, Herodotum pravo uti judicio, ubi de superbia regis Persarum loquitur; quod ad Xerxem valet regesque recentiores nondum valet ad Darium. Sed odium Graecorum in eum, qui perfectam iis referebat imaginem tyranni, tantum erat, ut ipse Herodotus, se invito contagi non expero videatur. Maximo sententiae nostrae argumento est oratio in illa columna plane ab oratione in Monumentis aliena.

Bellum Persarum contra Graecos paucis absolvere possumus, nam hac in re Herodoto quam maxime est fidendum, quum ex Ctesia nihil ferme super illo bello legimus. Omnibus notae sunt causae belli Persas inter et Graecos. Sin vero excerptum Photianum eas non exponit, id inde factum videtur, quod Ctesias omnino cum Herodoto consentiret, neque adeo opus esset illum ipsum

audire. Aeque nota est clades Persarum ad Marathonem; Datis, dux Persarum secundum Ctesiam in proelio occubuit, secundum Herodotum vero integer in Asiam reversus est, in l. VI, 118. Haec unica est inter scriptores nostros dissensio, atque ejusmodi quidem, ut in ea morari supersedeamus. Vid. quae disserit Mullerus in Ctes. frag. pag. 65. Deinde mox post nuntium acceptum infelicis in Athenas expeditionis Darius diem obiit; sic legimus in excerpto. At apud Herodotum rex moritur, dum alteram parat expeditionem.

Jam res admodum memorabilis ex Darii vita nobis exploranda est. Defectionem intelligo Babylonis, eamque urbem per dolum Zopyri recuperatam, quae res tanto copiosius est tractanda, quoniam maximi est momenti ac de ea sententiae oppido diversae sunt. Defectionem Babyloniorum Herodotus in l. III, 90 sqq. ad hunc ferme modum memoriae mandavit.

Babylonii turbidis Magi temporibus ad obsidionem sese paraverant. Ut frumentum per longum tempus sufficeret omnes suffocatae sunt feminae, praeter matres unamque ex uxoribus, quam quisque sibi potissimum retineret, ad panem conficiendum. Palam autem desciverunt Babylonii tempore, quo exercitus Persicus navalis Samum erat profectus. Darius, ubi nuntium defectae urbis accepit copiasque contraxit, Babylonem oppugnare coepit. Babylonii vero securi Persas insultabant, exque iis quidam sic loqui ausus est: „Quid hîc sedetis, Persae? tunc nos capietis, quando mulae pepererint." Darius septemdecim jam menses oppidum obsederat, omnibus machinis nequicquam adhibitis, quum vicesimo mense Zopyro, Megabazi filio nuntiatum est, unam ex ipsius mulis peperisse. Zopyrus, quum ipse prodigium vidisset, spe Babylonem capiendi commotus ad Darium se contulit ro-

gatum, an Babylonem capere magni faceret? Zopyrus simulac rex respondit se maximi id facere, dolum machinavit, quo urbe potiretur. Itaque ipse se mutilavit, cum Dario de ratione agendi in posterum convenit, ad Babylonios transfugit, denique oppidum dolose in regis potestatem redegit. Qua id ratione fecerit Zopyrus, omnibus pernotum. Babylonis captae a Dario muri diruti portaeque detractae sunt, ac tria millia Babyloniorum poenis affecti. Zopyrus semper apud regem summo honore ac loco est habitus.

Ctesias defectionis Babyloniorum Dario rege non meminit, sed eam ponit sub Xerxe, Darii filio; quae tamen obsidionis tempore facta sint, quoque consilio urbs a Persis recuperata sit, in universum conveniunt cum historia oppidi a Dario circumsessi. Id quidem intelligimus ex verbis Excerpti aliquantum confusis: Proficiscitur Xerxes Ecbatana ac nuntiatur ei defectio Babyloniorum et Zopyri praefecti caedes. Hunc in modum de his Ctesias loquitur, et non veluti Herodotus; quae Herodotus de Zopyro narrat, nisi quod mula ipsi pepererit, Ctesias tribuit Megabyzo. Megabyzus propter virtutem dona aestimatissima inter Persas a rege accepit. Quae ex Justino cognoscimus, conveniunt cum Herodoto, nisi quod Zopyrus illi est unus ex interfectoribus Magi. Relatio Justini hac de causa magni est pretii, quoniam ex ea apparet, Herodotum non solum fuisse, qui oppugnationem Babylonis a Dario ejusmodi narraverit, sed complures auctores nescio quos universim cum eo consentire. Neque Justinus totam historiolam ex Herodoto desumpsit, nam tum Zopyrum non nominasset unum ex septem contra Magum conjuratis. Traditio ergo non modo Herodotea est, verum etiam aliorum. An tamen vel sic narratio Herodoti vera sit, collatis documentis Persicis in-

fra explorabitur. Locus, quo primo sermo est de Babylone defecta Dario regnante est in Col. I, 77 sqq. text. Rawl., ubi haec leguntur: „Et aliquis Babylonius, Nad'itabira nomine, Aina — — filius, is insurrexit Babylone. Exercitum sic decepit: „ego Nabuk'ŭdrak'ara sum, Nabunitae filius. Tum exercitus Babylonius totus ad istum Nad'itabiram transfugit; Babylon rebellavit; regno Babylonio iste potitus est. — Edicit Darius rex: tum ego Babylonem profectus sum contra istum Nad'itabiram, qui Nabuk'ŭdrak'aram se appellabat. Exercitus Nad'itabirae Tigrim tenebat, illuc profecti erant et apud eos classis erat. Tum ego exercitum [in partes?] [divisi?], alteram [elephantibus ferendam] 1) feci, alteram [ipse] 2) duxi. Auramazdes mihi opem tulit, voluntate Auramazdae Tigrim [trajeci?]; — illum exercitum Nad'itabirae ego cecidi vi. Athrĭjad'ijae mensis 27° die fuit, quum proelium fecimus. Edicit Darius rex: deinde ego Babylonem profectus sum; quum [ad Babylonem venissem?] Zâzâna nomine locus (est) ad Euphratem; ibi iste Nad'itabira, qui Nabuk'ŭdrak'aram se appellabat, tetendit cum exercitu adversus me proelium consertum Tum proelium fecimus, Auramazdes mihi opem tulit, voluntate Auramazdae exercitum Nad'itabirae ego cecidi vi." Sequuntur in Col. I verba nonnulla incertae lectionis, deinde dies, quo pugna facta est. In Col. II sic pergit Darius. „Edicit Darius rex: tum Nad'itabira cum amicis equitibus Babylonem profectus est; deinde ego Babylonem profectus sum, — et Babylonem cepi, atque istum Nad'itabiram cepi. Deinde istum Nad'itabiram ego

1) Vocabulum Persicum *dashabârim* est incertae significationis. Vid. Benfey, in d. P. K. pag. 13.

2) Lacuna est in posteriore parte voc. *asm* —; sensus colligitur ex contextu.

Babylone interfeci." His verbis continetur historia Babylonis defectae et a Dario expugnatae; iterum vero rebellaverunt Babylonii, ut comperimus ex Col. III, 75 sqq., quem locum subjecimus.

„Edicit Darius rex: dum ego in Perside et Media eram, iterum Babylonii desciverunt a me Aliquis homo, Arakha nomine, Armenius, Nañd'itae [1]) filius, is insurrexit Babylone. D'ubâña nomine regio (est); inde iste insurrexit, sic mentitus est: ego Nabuk'udrak'ara sum, Nabunitae filius. Tum exercitus Babylonius a me descivit, ad istum Arakham transfugit, Babylone iste potitus est, iste rex erat Babylonis. Edicit Darius rex: tum ego exercitum misi Babylonem. V'idafrâ nomine Medus (erat), meus minister; eum ducem feci, sic ad eos locutus sum: proficiscimini [2]), istum exercitum Babylonis caedite, qui mihi non obedit. Tum V'idafrâ cum exercitu profectus est adversus Babylonem; Auramazdes mihi opem tulit; voluntate Auramazdae V'idafra Babylonem cepit.

---

[1]) Literae ñ, quae tantum in duobus Nominibus Propriis, Nañd'ita et D'ubâña occurrit ignota est vis, neque ea habere potuit sonum vere Persicum. Aeque incertus est situs regionis D'ubâña. Benfey vult *Dubium*, aut regionem, quae hodie dicitur *Dourouperan*. Melius autem ad sonum convenit *Δάβαινα* in Mesopotamia.

[2]) Pro vulgari lectione *pritâ* malim *paraitâ*, quod legendo nihil obstat. *Paraitâ* igitur esset 2 pers. Plur. Imper. a verbo ex *para* + *i* composito. 2 Pers. Sing. Imper. est: *paraid'ija*, quod alii legunt *prid'ija*. In Imperf. Ind. 3 Pers. ut par est propter augmentum legitur *parâitâ*, cum *a* producta. Vid. Col. II, 32, 38, 43, 52, 58. Col. III, 64. coll. Col. II, 30, 50 et 20, 83. III, 57, 84. Praeterea valde suspicionem movet conjunctio literarum *p* et *r*, etsi ex illo *aprijâja* in Col. I, 23. prodire videtur, eam conjunctionem esse admittendam in sermone Persico. Nullum sane aliud exemplum exstat, ubi literam *p* sequitur *r*. cf. *paras* in Partic. *u-frasta*. (Num pro *aprijâja* legendum est *adarijâja?*)

[nomen Proprium mensis; nulla litera amplius cerni potest] mensis 2o die fuit, quum — sequitur magna lacuna — ad crucem interfectus est."

His duobus tantum locis Darius agit de Babyloniis rebellantibus, sed inde non concludere possumus, Babylonios non saepius insurrexisse. Quum enim Darius inscriptionem Behistunensem confici juberet, nondum bellum in Scythas erat susceptum, ut patet ex catalogo populorum in Col. I comparato cum pleniore in Inscript. N. R. Itaque postea, bello Scythico finito, fieri potest, ut Darius rursus Babylonem oppugnare coactus fuerit. Sin vero tantum bis rebellaverint Babylonii, sicuti reperimus ex Inscriptione Behistunensi, nobis videndum erit, ad utram ex duabus obsidionibus Herodotea quadrat narratio; aut etiam, si omnino comparationi apta sit? Meo judicio Herodotus aliam refert Babylonis oppugnationem, quam cujus mentio fit in Monumentis Darii; idcirco testimonium utrumque componemus. In priore Babyloniorum defectione Darius ipse exercitus sui dux ingreditur adversus Nad'itabiram quemdam, qui falso titulo se esse Nabuk'udrak'aram, Nabunitae filium Babyloniis praefuit. Apud Tigrim, quum Darius eam trajecisset, proelium initum est, quo Babylonii funduntur. Paullo post iterum manus conserunt ad Euphratem, prope urbem Zâzâna, ac Nad'itabira denuo fugatus, se Babylonem recipit. Darius autem eum insecutus Babylonem cepit impostoremque Nad'itabiram supplicio dedit. Ad hunc modum Darius priore vice Babylonios insurrectos et oppressos dicit, breviter sane, verumtamen ita, ut concludere liceat, ejus narrationem non convenire cum Herodotea. In l. III, 90 Babylonii descivisse dicuntur post expeditionem Persarum in Samum, ad Sylosonti auxilium ferendum, „nam", ipse loquitur, „dum Magus regnavit et septem viri insurrexe-

runt per omne hoc tempus et perturbationem rerum, sese pro obsidione paraverant. Et occulte quodammodo haec fecerant. Quum autem palam rebellassent, haec fecerant cett". Adeo defectio Babylonis cadit in annum 516 a. Ch. quo circiter tempore Samus in Sylosontis potestatem est redacta. In documento autem Persico ex tenore orationis colligendum videtur, Darium, mox rerum potitum, Mago oppresso, in compluribus imperii partibus populos rebellantes debuisse de integro subigere. Ante ipsam enim defectionem Babylonis rex in Col. I 74, sqq. commemorat insurrectionem in Susiana, a quodam Athrina factam, qua oppressa Babylonem adortus est. Igitur prior insurrectio locum habuit in primo Darii regni anno, et de hac insurrectione Babylonis Herodotus nihil compertum habuit. Inde non meminit auctoris rebellionis, quem eum non omisisse credo, si istum cognovisset. Neque convenit narratio ipsa Herodotea cum Darii relatione, ubi enim Herodotus est fusior, in obsidionis historia, ibi Darius est brevissimus. Objici potest, Darium fortasse de industria reticuisse, quomodo Babylon capta sit, quo gloria expugnationis magis ad sese ipsum quam ad Zopyrum pertineret; confiteri se per dolum alius urbem diu frustra oppugnatam cepisse, fortasse regi Persarum offendere potuit. Sic profecto res explicari potest, sed quod et ex scriptoribus Graecis et ex Monumentis compertum habeamus, Darius non is fuit, quem ejusmodi praeclare erga se factum commemorare puderet. Videas quae exempla gratitudinis Darii literis prodiderit Horodotus, in l. III, 140. IV, 143. V, 11. VII, 194. Etenim eo modo facinus Zopyri insigne regi memorare licebat, ut et sibi et fideli suo ministro decori fuerit. Sed nunc Darius quasi obiter mentionem facit Babylonis recuperatae; „profectus sum Babylonem, eamque cepi et Nad'itabiram ce-

pi; deinde istum Nad'itabiram interfeci, haec sunt ipsa verba. Si expugnatio Dario tanto labore stetisset, pluribus verbis et superbioribus usus esset. Adeo satis me ostendisse puto, narrationem Herodoti dissidere a relata in Darii monumento priore Babylonis defectione.

Teste autem ipso Dario, Babylonii iterum rebellaverunt, auctore Armenio quodam, nomine Arakha; qui item se Nabuk'udrak'aram, Nabunitae filium finxit. Quae in hoc bello exponuntur res gestae minus etiam conciliandae sunt cum narratione Herodotea. Nam h. l. non ipse Darius exercitum in Babylonios ducit, sed unum ex ducibus, V'idafrâ, copiis praeficit; V'idafrâ urbe potitus est. Qui deinde sequuntur versus infeliciter depravati sunt; ex ultimis vocabulis colligendum videtur Arakham supplicio esse affectum. Conjecto equidem, totum locum corruptum, per quatuor tantum versus patentem, eadam ferme verba continuisse, ac quae legimus in Col. III, vs. 49—52. Quum igitur neuter locorum, quos attulimus ex Monumentis Darii concinant cum Herodoto, aut alia quaedam defectio apud hunc intelligitur aut facinus Zopyri est fabula. Equidem quid hac de re tenendum habeamus, dubius haereo; id tamen certum est, Herodotum ignorare utramque, quam memorat Darius insurrectionem, nam rem factam scribit, quasi rebellio de qua sermo est in l. III, 90 fuerit Dario regnante prima et unica.

Inter bella, quae Darius gessit, ab Herodoto memoratur bellum cum populis Indicis. Quod a Monumentis confirmatum vidimus, quum Catalogum tractaremus provinciarum in imperio Persico. Quo autem tempore pars Indorum a Dario subjecta sit, Herodotus non definivit, neque Inscriptiones in hac quaestione adjuvant. Id cognovimus debellatos Indos fuisse post tempus, de quo in Monumento Behistunensi sermo est, sed porro accuratius

definire nequimus. De Indis subactis, ut legimus in Herod. l. IV, 44 omnino non loquitur excerptum Photianum.

Aliae a Dario res gestae, quas in Inscriptionibus relatas reperimus, neque in Herodoto, neque in Ctesiae excerpto inveniuntur; nihil tamen aliud Monumentum Behistunense continet nisi historiam defectionum feliciter oppressarum. Darii igitur historiam illustrant res illae, sed quoniam a nullo alio auctore nobis traduntur, eas quocum conferamus non habemus. Contra autem in bello Graeco Herodotus nobis nisi solus, at certe fide dignissimus est auctor, eoque quidem dignissimus, quod in illius belli historia maxime versatus fuerit necesse est, et adhuc in historia Persarum nullum in Herodoto errorem deprehendimus, qui ex mala fide ortus est. Falsa tradere Herodotus poterat, mentiri vero nequibat.

Paucis absolvere poterimus, quid in ultimis Darii annis factum sit. Post nuntium acceptum cladis Persarum ad Marathonem, Darius ira incensus alteram expeditionem ac majorem in Graeciam meditabatur. Eam per tres annos praeparaverat, quum quarto anno Aegyptus descivit. Darius, quum in Aegyptum prius arma inferenda censeret, anno post defectionem Aegypti, quum in eo esset, ut in rebelles tenderet, mortem obiit, post quam per annos regnavit triginta sex. Vid. Her. VII, 1—4. Initium regni Darii ex chronologia Herodoti est annus 521 a. Ch n. et mortis annus fuit 485 a. Ch. n. Non dicit Herodotus, quot annos vixerit Darius, sed hoc consequi possumus eo, quod idem Darii aetatem tradit in l. I, 209 fuisse annorum circiter viginti, quum Cyrus cum Massagetis bellum gereret. Non multum post Cyrus occubuit; Cambyses et Magus conjuncti complent spatium annorum octo. Vid. Herod. l. III, 67. Itaque

Darius regnare coepit anno aetatis vicesimo octavo vel nono, anno a. Ch. n. 521. Adde annos regni triginta sex et aetatem Darii fuisse videbis annorum sexaginta quatuor. Diversa autem Ctesias habet; apud eum enim Darius regnavit annos triginta unum (λα'), et, ex lectione Bekkeri, vixit annos septuaginta duos (οβ'), adeoque anno fuit aetatis quadragesimo primo, quum regnum occuparet. Admonendum tamen, numeros non certos esse; vulgata lectio erat: *ζήσας μὲν ἔτη ιβ' πρὸ τῆς βασιλείας, ἐβασίλευσε δ'ἔτη λα'.* Numerus *ιβ'* sane absurdus est, sed unde irrepsit illud *πρὸ τῆς βασιλείας*? Manum abstinere prudentius est, et in lectione tam incerta, neque Ctesiam culpare, aut ei fidem contra Herodotum habere, neque Herodoto quicquam diffidere opus est.

Constare videtur apud Ctesiam numerus pro spatio regni, nam ex verbis in § 19: „Darius reversus in Parsas et sacrificiis factis, post morbum dierum triginta mortuus est," patet, nisi excerptor fuerit hebetissimus, regem obiisse non diu post pugnam Marathonensem. At apud Herodotum Darius vita defungitur anno quinto aut fortasse sexto post. Hoc ipsum autem discrimen est inter utrumque scriptorem, quod ad spatium Darii regni. Quo vero anno Ctesias mortem regis illius posuerit, ex chronologia Graecorum nescimus; feliciter testimonio ejus de hac re non egemus, et si cum Herodoto faciemus, Darium obiisse anno sexto post pugnam Marathonensem, tum annus mortis cadat necesse est in annum 486 vel 485 a. Ch. n.

Darius *Δαρεῖος*, Persice dictus Dârajavush, ortus erat genere Persarum nobilissimo Achaemenidarum, aeque ac Cyrus et Cambyses. Vid. Col. I, 28 text. Rawl. Stemma Darii invenimus in Col. I, 3 sqq., ubi haec: „Edicit Darius rex: meus pater (erat) Hystaspes (V'íshtâspa),

Hystaspis pater Arsames (Arshâma), Arsamis pater Ariaramnes (Arijarâmana), Ariaramnae pater (omissum a lapidario Teïspes, K'ishpish), Teïspis pater Achaemenes (Hakhâmanish). Edicit Darius rex: hac de causa nos Achaemenidae appellamur, ab antiquo *honorati?* sumus, ab antiquo nostra stirps regnabat. Edicit Darius rex: 8 meae stirpis (fuere), qui pridem reges erant, ego nonus sum; in longa serie nos reges sumus." Cf. Col. V. Nomina Graeca, quae Persicis apposuimus, petita sunt ex Her. VII, 11, quo Xerxem sic loquentem facit: „μὴ γὰρ εἴην τοῦ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος τοῦ Ἀρσάμεος, τοῦ Ἀριαράμνεω, τοῦ Τεΐσπεος, τοῦ Κύρου, τοῦ Καμβύσεω, τοῦ Τεΐσπεος, τοῦ Ἀχαιμένεος γεγονώς." Haec igitur genealogia accurate convenit cum Inscriptione, praeter tres interjectos, Cyrum, Cambysen, Teispim alterum. Quum autem alii alterum Teispim non legant, suspicio me subit, tria illa nomina esse interpolata, non ab Herodoto, sed ab erudito quodam lectore. Quomodo enim fieri potest, ut Herodotus, qui sciebat Darium Hystaspis fuisse aequalem juniorem Cyri Magni, eundem Cyro prognatum scripserit? An alius intelligitur Cyrus, alius Cambyses, quam Cyrus Magnus, ejusque pater? Aut hoc opinatus est Herodotus, aut locus est interpolatus. Ex Inscriptione quoque prodit Achaemenem vixisse annos circiter ducentos ante Darium, quod hic sextus ad genus ab illo absit. Cf. quae de stemmate Cyri disseruimus hujus commentationis pag. 16.

Vita Darii ad finem perducta si quaeremus, quibusnam ille animi dotibus ornatus fuerit, quaenam de imperio Persico ob incrementa sit meritus, et quem locum in ordine regum Persarum ad virtutem obtineat, tum statim se nobis offeret, regnum Darii imperio Persico fuisse eam aetatem, in qua, veluti in universarum historia civitatum

reperimus, civitas et interne et externe summopere floruerit, verum ita floruerit, ut summus flos imminentem roboris deminutionem praedicat. Nam illius temporibus vetus Persarum bellica virtus pedetentim diminuere coeperat, et deinde foris bella cum Graecis, quorum initium, non vero finem adspexerat Darius, domi autem mollities luxuriaque in dies augens, imperium usque adeo debilitabant, ut Alexandro Magno 150 prope annis post Darii obitum imperium labefactatum sine multo labore evertere contigerit.

Darius vero ipse summopere bene meritus est de imperii distributione atque ordine, et, quamvis multa, in his perniciosa ipsi bella gesserit, pacis studiosior fuisse, quam belli videtur. Nam quae suscepit bella ad auctoritatem dignitatemque imperii suamque ipsius necessaria erant. Imperium tueri illum oportuit contra injurias populorum ferocium, qui saepius fines imperii turbabant; hinc expeditio in Scythas. Vid. Her. l. IV, 1. Unum bellum cum Graecis inconsideratius Darius iniit, sed, quum ab Atheniensibus in insurrectione Ionica lacessitus et ab exsulibus Graecis esset incitatus, non valde mirum est, quod ille paululum fortasse vanitate inductus superbos Graecos subigendi tandem consilium ceperit. Cetera tamen quae Darius gessit bella erant adversus rebelles. Omnino animadvertere est, illum sese ipsum non virum belli artium peritum habuisse; omnia enim, provectiore certe aetate satrapis vel ducibus suis gerenda reliquit, excepto bello Scythico, cui ipse praefuit, quippe quod Persis sacrum quasi bellum videretur. In Monumentis suis, quum de se ipse loquitur, se magis regem profitetur, subjectis consulentem, quam ducem bellicosum, qui ante non quiescat, quam totum orbem oppresserit. Cyrus ac Cambyses, satis et nimis bellaverant, vicerant, et subegerant,

Darius autem imperium ordinandum percipiebat. Ipsi quoque Persae dilucide discrimen inter Darium ac praecessores perspiciebant, illum propter tributa ordinata et alia huic similia instituta appellantes κάπηλον, verum Cambysem δεσπότην, Cyrum πατέρα. Etiam in Inscriptionibus perlucet animus Darii atque ingenium. Nusquam ullum ejusmodi, qualem Graeci ei imputarunt, arrogantiae exemplum in oratione regis Persarum cernimus. Potest sane fieri, quod Darius non locutus est, sicuti agere solebat, sed hoc saltem scire ostendit, quae in ore regis Persarum oratio deceret Cujusvis judicio relinquemus, num haec sint verba oppressoris, qualem Graeci regem quemquam Persarum arbitrantur. Legimus in Col. IV, 59 sqq: „Edicit Darius rex: id, quod ego feci, omne perfeci voluntate Auramazdae; Auramazdes mihi opem tulit, et qui ceteri sunt dii. Edicit Darius rex: hac de causa Auramazdes opem tulit, ac qui ceteri sunt dii, quia non improbus eram, neque deceptor eram, neque oppressor eram." Ejusdem Col. vs. 67. „Edicit Darius rex: tu, quisquis rex eris in posterum, qui homo deceptor est aut qui — est, eos ne —, tamquam severus vindex eos punito." Cf. ejusd. Col. 36 sqq. „Tu, quisquis rex eris in posterum, cave a peccato; homo, qui improbus est, eum severe punito. Si sic censebis, imperium meum difficile vincetur." Porro inspicias Col. I, 20 sqq. „Hae sunt regiones, quae mihi evenerunt; voluntate Auramazdae servi mei erant, mihi tributum ferebant; quod iis a me imperabatur, nocte dieve id factum est. Edicit Darius rex: in his regionibus homo qui probus erat, eum bene tractabam; qui improbus erat, eum severe puniebam. Voluntate Auramazdae hae regiones leges meas servabant; sicut iis a me imperabatur sic perficiebatur."

Praeter haec exempla aliis locis adhortationes occur-

runt Darii ad Auramazden colendum legesque divinas servandas. Constanter repetitur formula: voluntate Auramazdae rex sum aut hoc illuc feci, Auramazdes mihi regnum, opem obtulit." Sufficient haec exempla ad demonstrandum, Darium Hystaspis diligenter se ostendere principem subditorum salutis studiosum ac deorum pium cultorem. Neque vana specie in Monumentis Darius suis pie loquitur, nam ex ipsis scriptoribus Graecis multa nobis de illo prodita sunt, quae mite praestansque ingenium manifestant; quanta gratitudinis Darii exempla Herodotus memorat notum. Quae autem idem Darium in columna ad Tearum fluvium jactantem facit, regis sapientis prorsus aliena sunt, et ridiculum exemplum praebent, quo odium populare probum hominem cogat. Ad reges Persarum vituperandos Herodotus est promptissimus, sed Graeco, tempore quo alterum bellum a Persis Graeciae imminebat nato, id facile condonari poterit, dummodo istiusmodi puerilibus fabulis fidem negare nobis liceat.

Darii regno fuse pertractato, transeundi locus est ad regnum Xerxis, ad quem imperium quidem paternum, verum nullae animi, nullae ingenii dotes transierant. Hominem nullius virtutis fuisse scriptores Graeci cuncti Xerxem ajunt. Exstant autem ipsius Xerxis documenta: an ea nos alia, ac quae jam ex exteris scriptis audivimus, doceant, id in capite sequenti indagandum erit.

CAPUT V.

XERXES, DARII FILIUS, REX.

Xerxes, simulac regnum occupavit, arma in Graeciam inferre parabat. Ctesias, quem priorem sequemur narrantem, causas expeditionis reddit, quod Chalcedonenses pontem solvere conati essent, quod iidem aram a Dario erectam diruissent, et quod Athenienses Datin occisum non reddidissent. Eas tamen non veras fuisse causas, de quibus bellum iterum a Persis susceptum sit, quisque intelligit, neque ipsum Ctesiam rationem tanti belli posuisse credo in rebus per sese ipsas parvi momenti; profecto injuriae illae recentes filium ad expeditionem a patre inchoatam perferendam acrius incitabant. At Herodotus Xerxem non nisi postquam diu dubitavit cumque Persarum nobilissimis deliberavit, expeditionem suscipiendum statuisse dicit, Mardonio praecipuo belli admonitore. Mardonius secundum Ctesiam quoque apud Xerxem in primis valebat auctoritate. Sed Xerxes ante quam Graeciam adortus est, Aegyptum rebellatam perdomuit, quo facto Graeciam petivit. Sic Herodotus,

contra vero Ctesias de rebellione Aegyptiorum tacet, sed ante bellum Graecum inceptum memorat defectionem Babyloniorum, quae oppressa est per Megabyzum, Zopyri filium, eodem fere consilio, quo ex Herodoto Zopyrus urbem cepit. Jam supra de ea re quid sentiamus diximus.

Ante bellum Xerxis cum Graecis tractandum, quaedam annotare lubet ad locum excerpti Ctesiae in § 20, quo aliquid memoratur ad genealogiam pertinens. Xerxes illo teste, uxorem duxit Amestrin, filiam Onophae, ex qua sibi gignuntur tres filii Dariaeus, Hystaspes, Artoxerxes, et duae filiae, Amytis, nomine aviae vocata, ac Rodogune. Quoque ab Herodoto Amestris Xerxis uxor dicitur, sed filia Otanis, non Onophae, Her. VII, 61. Ut supra vidimus, is ex conjuratis contra Magum, quem Herodotus nuncupat Otanen a Ctesia appellatur Onophas. Scriptores igitur ita inter se dissentiunt, ut sibimet ipsis constent. Nomen Ὀνόφας composuimus cum Ἀνάφης, filio Otanis, qui fuit Cissiorum in Xerxis exercitu dux, Her. VII, 62. Adeo Ctesias Otanis filium cum eo ipso confudisse videtur, filium Otanis inquam, nam nomen Ὀνόφας ad patrem Otanis pertinuisse nequit, quoniam pater Otanis in versione Medica nomen habet *D'huggara*. Vid. Benfey, d. P. K. pag. 40.

De liberis Xerxis Herodotus non loquitur, quam ob rem eum comparandi cum Ctesia locus non est, sed ante quam ad aliud quid transeam, obiter attingam annotationem Mulleri, pag. 66 ad Ctesiae § 20. H. l. Mullero arridet conjectura Baehrii, sic cogitantis: verba *κατὰ τὴν ὀνομασίαν τῆς μάμμης* non ad Amytin, sed ad Rhodogunen esse referenda propter locum Suidae, ubi haec: Ῥοδογύνη, *γυνὴ μὲν Ὑστάσπου, Ξέρξου δὲ καὶ Δαρείου μήτηρ*. Quisque videbit credo, sententiam Baehrii nullo

stare argumento. Annotatio Suidae primo loco absurda est, si locus bene se habeat; Darius non fuit Oedipus, et Xerxes, secundum Herodotum, meliorem quam Suida est, testem, fuit filius Atossae. Ceteroquin per ἡ μάμμη potest intelligi tam avia Xerxis, quam Amytis. Ctesias autem Xerxis aviam intelligit, et tum res perlucida est, ex ipsius enim Ctesiae testimonio, uxorem Cyri, i. e., *aviam* Xerxis per Atossam, fuisse Amytin audivimus.

Bellum Graecum in excerpto Photiano copiose et prolixe narratur. Quamvis eo de bello Inscriptionum testimonium omnino desideremus, attamen ex comparatis Herodoto ac Ctesia quaeremus, quos fructus ex illis inter se compositis, etiam sine documentis Persicis percipere possimus. Ctesiae excerptum haec fere continet. Xerxes, quum octingentorum millium exercitum coegisset, Graeciam petivit. Hellesponto ponte juncto, quum in eo esset exercitus, ut pergeret in Graeciam, Demaratus Lacedaemonius, qui regi trajicienti aderat ei auctor fuit, ne in Spartam invaderet [1]). Xerxes ad Thermopylas per Artapanum cum decem millibus Leonidam aggressus, quum opias eas amisisset, rursus viginti millia Persarum immisit, qui item caesi sunt. Postremo Xerxes, consilio adhibito Thoracis Thessali, et optimatum Trachinensium, Calliadis, Timaphernisque, etiam Demarati atque Hegiae Ephesii, Lacedaemonios circumcingere statuit. At Trachinensibus istis semitâ occulta Persis monstrata, Leonidas cum suis a tergo pressus, fortiter pug-

1) Locum in excerpto turbatum credo. Pro Δημάρατος δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος παρεγένετο ἤδη πρῶτον καὶ συνῆν αὐτῷ ἐν τῇ διαβάσει καὶ ἀπεῖργε κτέ, legere malim: Δημάρατος δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος, ὃς παρεγένετο ἤδη πρότερον, συνῆν κτέ. Si ita legemus non obloquetur Ctesias Herodoto dicenti Demaratum jam ad Darium venisse.

nans occubuit. Xerxes exercitum Mardonio duce mittit ad Plataeas; Pausanias cum trecentis Spartanis, mille perioecis, sex millibus ex ceteris civitatibus Persas fudit, atque ipse Mardonius vulneratus fugit. Mardonius deinde a Xerxe templum Apollinis direptum Delphos missus, ingruente grandine est obrutus. Ipse Xerxes Athenas petit, quas vacuas praeter arcem a paucis defensam invenit. Ceteri Athenienses Salaminem fugerant, centum et decem triremibus armatis. Xerxes autem, quum ad angustissimum Atticae locum (Heracleum vocatum) pervenisset, aggerem Salaminem versus duxit, qua pedestri itinere ad insulam transiret. Consilio Themistoclis Aristidisque sagittarii ex Creta arcessuntur, et veniunt. Deinde pugna navalis fit inter Persas cum plus mille navibus, et Graecos cum septingentis. Graeci vincunt, Persae quingentas naves amittunt et Xerxes, auctoribus Themistocle atque Aristide, fugit. Is, quum in Asiam trajecisset Sardes profectus est, Megabyzo misso, qui Delphorum templum diriperet. Illo recusante mittitur Matakas eunuchus, a quo res perficitur.

Sic Ctesias de bello Xerxis in Graecia gesto; quatenus ab Herodoto dissensiat, cuique manifestum erit. De numeris diversis disputare inutile puto, nam, quum nihil certi de iis possit pronuntiari, neque discrimen tantum sit, ut utri numerum suum culpae demus, aliis cupidioribus harum rerum dijudicationem relinquo. Profecto numerus Herodoteus in l. VII, 60 septuaginta et centum myriadum, ingens est, sed neuter accurate tradidit, neque tradere potuit. Herodotus copiose exponit, quinam populi quibus ducibus in Xerxis exercitu militarent, quod tam diligenter fecit, ut nonnulli cogitarint, Herodoto haec scribenti ab oculos fuisse documentum Persicum. Quod si negare audeam ex argumentis, quae posthac dabo,

tamen hoc libenter concedo, Herodotum enumerationem suam hausisse ex fonte haud parvae fidei. Distributio populorum aliquantum differt a divisione Satrapiarum apud Herodotum. Si nomina singula inspexerimus, fortasse de ratione hujus differentiae aliquid dicere poterimus.

Praeeunt omnes Persae; sequunter 2° Medi, 3° Cissii, 4° Hyrcani, 5° Assyrii, 6° Bactri et Sacae Amyrgii, 7° Indi, 8° Arii, 9° Parthi, Chorasmii, 10° Sogdi, 11° Gandarii et Dadicae, 12° Caspii, 13° Sarangae, 14° Pactyes, 15° Utii et Myci, 16° Paricanii, 17° Arabes et Aethiopes, 18° Libyes, 19° Paphlagones et Matiani, 20° Mariandyni, Ligyes, Syri (Cappadoces), 21° Phryges et Armenii, 22° Lydi et Mysi, 23° Thraces, 24° Nomen populi non legibile, Cabelenses, Milyes, 25° Moschi et Tibareni, 26° Macrones et Mosynoeci, 27° Mares et Colchi, 28° Alarodii et Saspires, 29° Insulani ex mari Rubro. Distributio igitur populorum, qui sub Xerxe militant, distat a divisione Praefecturarum, unde colligendum est, populos l. c. allatos ducesque eorum non fuisse quemque ex quaque satrapia cum eorum satrapa, sed ratio divisionis fuisse videtur militaris. Duces maximam partem nisi cuncti erant Persae, sicuti probatur ex nominibus vere Persicis, quibus illi utuntur; omnes autem duces satrapae esse nequeunt, quia plures enumerantur populi, quam satrapiae, tam apud Herodotum, quam in Monumentis Darii. Fieri tamen potest, ut Xerxes distributionem paternam mutaverit. Ex quo fonte Herodotea manarint de populis militantibus eorumque ducibus, difficile est confectu. Non temere eum populos divisisse coarguit ordo enumerationis, nomina ducum una cum patrum nomine. Persicis vero documentis uti nequibat. Quid tunc? Num Herodotus catalogum suum pepigit ex testimonio testium oculatorum et aequalium bello? Vix

credimus, quoniam tantum temporis spatium praelapsum erat. An documentum Persicum translatum inspexit? Sardibus v. c. aut in alio quodam capite imperii Persici talia documenta fortasse exstabant in pluribus linguis conscripta. Si inter Inscriptiones catalogus, de quo sermo est superesset, tum sane facile foret dijudicatu, Herodotusne documentum fidei dignum inspexerit an aliunde sua deduxerit. Quum autem in Inscriptionibus nihil ejusmodi reperiamus, quae vera sint, quae falsa, si non lateat, at certe non sine ullo dubio cognoscendum est.

Quod ad ipsius expeditionis historiam, operae pretium est conferre ea, quae Ctesias mandat super pugna Thermopylarum cum Herodoti narratione. Ctesias Xerxem, consilio habito manum misisse ait, ducibus Calliade et Timapherne Trachiniis, qui semitam occultam Persis monstrarent. Hoc facto occubuére Lacedaemonii. At vero Herodotus Lacedaemonios perditos scribit traditione Epialtis cujusdam, et ejus Trachinii, quamvis in l. VII, 214, distincte meminerit, traditorem secundum nonnullos non fuisse Epialten, sed Onetam Carystium ac Corydalum Anticyrensem. Id autem Herodoto eo falsum videtur, quod Pylagori non duos allatos proscripsissent, sed Epialtem Trachinium. Res igitur aliquo certe dubio laborat. Paullo porro certissime hallucinatur Ctesias, siquidem pugnam Plataeensem ponit brevi post pugnam Thermopylarum. Ut apud omnes constat proelium ad Plataeas factum est anno post pugnam navalem apud Salaminem, non vero ante. Unde Ctesias tam absonam sententiam habuerit nescio, et plane non assequor, quo modo fieri potuerit, ut Graecus, ut erat Ctesias, tam ignarus esset Graecorum historiae. Excerptorem per sese ipsum ejusmodi mendum commisisse non arbritor; tempus proelii Plataeensis ei notius erat, quam quo esset

lapsus. Necessario igitur error ipsi Ctesiae imputandus est. Porro in narratione pugnae Plataeensis, ut numeros copiarum apud utrumque omittam, etiam eo dissentiunt Ctesias et Herodotus, quod apud hunc Mardonius, Persarum dux, in certamine periit, apud illum vero vulneratus aufugit, et aliquanto post demum per grandinem interiit, quum Xerxis jussu templum Apollinis drepturus esset. De ea Persarum in Delphos expeditione etiam in Herodoto aliquid legimus, sed quisnam fuerit dux non memoratur. Secundum Herodotum expeditio ista facta est ante proelium Salaminense, ut quoque apud Ctesiam, hoc vero discrimine, quod in Ctesia expeditio sequitur pugnam ad Plataeas. Cur Mardonium in proelio Plataeensi non occisum fecerit Ctesias clarum est. Res autem ipsa declarat, hac in re Ctesiae omnem fidem esse abjudicandam quippe qui et tempora et res gestas confuderit. Pleraque in eo tam falsa sunt, ut nihil explicemus, si cum Mullero, Ctes. frag. pag. 67 omnem differentiam tribuemus „vanitati Persarum." Addit idem vir doctissimus: „Hinc sua hausit Ctesias, quem inter Persas composuisse belli Medici historiam totius narrationis tenor coarguit." Non capio, quid ad vanitatem Persarum pertineat cladem Plataeensem uno anno prius ponere, aut quid gloriae Persis fuerit Matacam diripuisse templum Delphicum. Si ea opinio vera esset, etiam ex Persarum vanitate Ctesias hausit mortem Mardonii ante aedem Apollinis per grandinem ingruentem. An etiam hoc ejusmodi erat, de quo gloriarentur Persae? Prudentius est arbitrari, Ctesiam suapte auctoritate sua conscripsisse.

Porro dissidet uterque scriptor in narratione certaminis Salaminensis. Quod Xerxes aggerem fodit ad Heracleum, id quoque ab Herodoto commemoratur, sed id factum ait pugna finita in l. VIII, 97. Si deinde apud Cte-

siam Themistocles et Aristides sagittarios arcessunt Cretenses, solus est, qui id tradit; eo modo, quo in excerpto hoc factum legitur, percipere nequimus, quo consilio duo illi Athenienses id fecerint. Ducem Persarum in proelio Ctesias nuncupat Onopham; Herodotus autem plures classi praefectos dicit in l. VII, c. 97. Post cladem acceptam Xerxes fugit, auctoribus Aristide ac Themistocle, ut Ctesius vult, uno vero auctore Themistocle apud ceteros. Vid. Her. VIII, 110. De direpto templo Delphico per Matacam eunuchum (fortasse idem, qui § 20 dicitur Natacas) tacet Herodotus aeque atque Justinus, qui de altera expeditione his verbis loquitur in l. II, 12: „ante navalis proelii congressionem miserat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos, ad templum Apollinis diripiendum; prorsus, quasi non cum Graecis, sed et cum diis immortalibus bellum gereret; quae manus tota imbribus et fulminibus deleta est, cett." Ad quem igitur modum miraculum illud factum sit, id profecto prope accidit ad verba Ctesiae, attamen sua Justimus ex Ctesia non deprompsit, quum sic non silentio praeteriisset Mardonium ducem. Non Justinus obloquitur Ctesiae, dicenti Mardonium ad Plataeas non occubuisse, sed profugisse [1]). Vid. Just. II, 14. Quisque de istis contra Apollinem expeditionibus credat, quid sibi potissimum videatur. Sin autem Mullerus l. c., ad secundam expeditionem a Mataca ductam, annotat: „haec procul dubio referenda Persarum vanitati," aequo, quin meliore etiam jure dicere licet: „Persarum, quae perhibetur contra templum Apollinis expeditio atque exi-

---

[1]) De morte Mardonii ad Delphos Ctesias unicus fuisse videtur auctor. Ipse exceptor ergo id in dubium vocavit; quo enim alias illud φησὶ in § 25 exc. Phot.?

tium per grandinem et miracula, referenda sunt Graecorum superstitioni." Argumenti reddendi labore supersedere nobis licebit.

Xerxes, quum rem bello infeliciter gessisset, in Asiam reversus Sardes pervenit ibique nefariis amoribus indugebat. Deinceps Susa profectus illic cum sui filii uxore adulterium commisit; Masisten fratrem interficiendum curavit, Her. IX, 108—113. Pluribus ejusmodi facinoribus secundum Herodotum se Xerxes inquinavit.

De morte Xerxis testimonio caremus Herodoti, sed feliciter Ctesias de ea talia refert, qualia sine magna dubitatione credere licet, praesertim quia aliorum accedit auctoritas. Necem Xerxi struunt aulici, et in istorum historia totus est Ctesias, qui de omnibus Persarum rebus judicabat ex moribus corruptis suae aetatis atque aulae Artaxerxis Mnemonis. Conjurationem contra Xerxem agitat Artapanus apud regem plurimum auctoritate valens, cum Aspamitra eunucho. Hi, quum consilium exsecuti essent, Artoxerxem, Xerxis filium, regia dignitate ornant, alterum vero filium Dariaeum tamquam patris interfectorem accusant. Dariaeus frustra apud Artoxerxem parricidam se esse negans interficitur. At non diu latebat Artapani perfidia, nam a Megabyzo, quem consilii socium Artoxerxem interimendi assumpserat proditus pro duplici caede Xerxis et Dariaei poenas luit. Aspamitras conscius perfidiae σκαφεύεται. Artapano mortuo proelium oritur inter eos, qui ab istius parte stabant cum ceteris Persis, quo certamine tres cadunt Artapani filii, Megabyzus vero vulneratur. Hic autem sanatus est Apollonidae Coi diligentia.

Sic Ctesias de Xerxe interempto et Artapano punito. Justinus haec exhibet: Xerxis majestate in dies deficiente Artabanus, praefectus regis, cum filiis suis vesperi re-

giam ingreditur (nam amicitiae jure semper illi patebat) regemque trucidat. Artaxerxe puero admodum, simulat, Darium patrem Xerxem occidisse, eumque impellit parricidium vindicare. Darius dormiens interficitur. Deinde Artabanus contra Artaxerxem conjurat et socium consilii assumit Bacabasum, qui rem Artaxerxi prodit, ut pater ejus occisus sit, ut frater falsa parricidii suspicione oppressus, ut denique ipsi insidiae pararentur. His cognitis Artaxerxes prudenter et per dolum Artabanum ipse interfecit, ejusque filios interimi jussit. Vid. Justin. III, 1. Haec narratio Justini, de sententia Mulleri sumpta est ex Ctesia; non facile equidem crediderim, nam praeter differentiam nominum, Artabani pro Artapano, Bacabasi pro Megabyzo, Justinus etiamsi non summatim, tamen in minutioribus recedit a Ctesia. Darius (Ctesiae Δαρειαῖος) Justino interficitur dormiens, Ctesiae, quum domum Artoxerxis ductus, se parricidam esse nequicquam negaret. Deinde, ut mentionem Ctesiae de Amyti, Magabyzi uxore omittam, diversis modis ab utroque traditur conjuratio ab Artaxerxe oppressa. Non quidem multum uterque scriptor dissidet, sed satis ad monstrandum, Justinum non exhibere Ctesiana. Herodotus noster mortem Xerxis literis non mandavit. Artabanus quidam tamen apud eum occurrit, sed non idem fuit, qui Ctesiae est Artapanus, Justino Artabanus. Quod liquet ex iis, quae Herodotus de Artabano, Xerxis patruo scribit in l. IV, 83, VII, 46—52. Artapanus autem seu Artabanus, qui in Xerxem scelestum istuc facinus perpetravit, fuit filius Artasyrae Hyrcani. Inde Diodorus Siculus eum genere Hyrcanum ait, in l. XI, c. 69, cf. Ctes. Pers. § 9 et 20. Ceteroquin Diodorus qui l. c. mortem Xerxis memorat, rem suo modo narrat. In universum Diodorus, Justinus ac Ctesias inter sese non dissentiunt;

inde constat, quo modo Xerxes, Darii filius exitium invenerit. Regnavit annos circiter viginti, vid. Diod. XI, 69.

Scriptoribus Graecis auditis, circumspiciamus ad documenta Persica. Exstant quidem monumenta Xerxis, veluti Darii, sed multo minore numero, ac nihil exhibentia, nisi titulos quasi aedificiorum, quae Xerxes exstruxerat. Adeoque ad historiam Xerxis nihil proficiunt. Monumenta Xerxis universa ad ipsam Persepolin aut in vicinia reperta sunt; pleraque in ruderibus aedium regum Persarum, quas Darius aedificare coeperat, Xerxis perfecit. Quaerendum est, quid ex illis monumentis historiae Xerxis utile prodeat.

Inscriptiones Xerxis eundum referunt sermonem, ac Darii. Pleramque partem continent titulos regis precesque ad deum Auramazden, ut quae a rege condita sunt tueatur. Quibus locis in quibusque aedificii Persepolitani partibus Inscriptiones legantur, inspicere licet in Niebuhr, Beschr. Arab. et Lassen, in Z. f. d. K. d. M. VI, passim. Exempli loco sit una ex Inscriptionibus Xerxis, quam totam subjiciam; signatur ea apud Lassen per literam A.

„Deus magnus (est) Auramazdes, qui hanc terram creavit, qui illud coelum creavit, qui hominem creavit, qui fortunam [1]) creavit hominis, qui Xerxem regem fecit, unicum multorum regem, unicum multorum imperatorem. Ego (sum) Xerxes, rex magnus, rex regum, rex regionum, a multis gentibus cultarum, rex hujus terrae magnae procul (et) prope, Darii regis filius, Achaemenida. Edicit Xerxes, rex magnus, quod a me conditum hîc, et quod

[1]) Voc. *shijâti* per *magnificentiam* interpretatur Benfey d. P. K. p. 95 in v. Significationem vero, quam Lassen ei supponit, praeferendam puto.

a me aliis locis conditum, haec omnia voluntate Auramazdae feci. Me Auramazdes tueatur cum diis, et meum imperium et quod a me conditum." Oratio hujus Inscriptionis eadem est, ac quae invenitur in nonnullis Darii monumentis, e. g. in Inscr. N. R. cujus initium eadem exhibet, et in Inscr. O. Preces Xerxis ad Auramazden aliquanto aliis verbis continentur, quam Darii; cf. N. R. 47 ad finem. Grammaticae differentiae prorsus nullae insunt inter utriusque Monumenta; sermo Persicus adhuc incorruptus vigebat. At vero novum vocabulum, in Darii scilicet monumentis non usitatum occurrit pro *kkshâjathija*, quod Lassen legit *narpa*, Rawlinson *naqa*. Etymologiae gratia praeferendum est *narpa*, licet non infitias eamus, quin literae forma in *narpa* proprium habuerit sonum; quemnam autem sonum, nescimus; fortasse pronuntiabatur tamquam duplex *p* aut *r*. Hoc vocabulum *narpa* non legitur in Monumentis Darii, nisi unum excipies, Inscript. L, quae dicit: „ Altum aedificium (athagina.) Darii regis jussu factum." Hoc unicum est exemplum. An fortasse ea Inscriptio non fuerit Darii Hystaspis, qui nusquam tam brevis est? Fieri potest, ut alter Darius aedificium, de quo sermo est, exstruxerit, aut ut unus ex successoribus Darii I, v. c. Xerxes ipse, in illud aedificium, quod Darius exstruxerat, non tamen titulo ornarat, verba allata incidenda curaverit. Argumento pro hacce sententia quoque sit, exili sane, quod Darius nusquam alibi de se loquitur in tertia persona, cf. verba ejus in Inscript B. Scimus Xerxi aedificia patris maximopere cordi fuisse ex Inscrip. C, a, et D, 20. Porro in eadem Inscript. D memoratu dignum est, quod dicit Xerxes, vs. 12 „ hoc opus, omnes populos exhibens," omnes populos videlicet qui regi Persarum erant subditi. Horum populorum imagines cernuntur in pariete,

apud ipsam Inscriptionem; eos tamen distinguere difficile est.

Itaque non multum promovent Inscriptiones Xerxis ad historiam ejus cognoscendam. Comperimus vero, nomen Persicum pro Xerxe fuisse Khshjârshan seu Khshajârshan, (in Nominativo Khshjârshâ), eumque regiam Persepolitanam a Dario patre inchoatam, perfecisse. In ceteris rebus a Xerxe gestis nobis Monumenta Persica nullam lucem afferunt. Num alia exstent monumenta ex Xerxis aetate ejusque jussu exstructa, tempus docebit; ad hunc usque diem nihil repertum est, quod in Persico sermone res gestas alicujus regis Persarum refert eo modo, quo id facit Inscriptio Darii ad Behistun. Non mirum est, quod ad Persepolin inter omnes Inscriptiones nulla exstat, quae de rebus Xerxis gestis agit, nam ne Darius quidem facinora sua praeclara eo loco memoriae prodidit. Magis autem miror, quod Xerxes non tradidit catalogum populorum, qui ei parebant; Darius enim id fecit, ne loquar de inscriptione sepulcrali ad Nakshi Rustam, in regiae Perspolitanae Inscr. I.

CAPUT VI.

ARTAXERXES LONGIMANUS REX.

De Artaxerxe seu quae Herodotea ac Ctesiana est ratio scribendi, Artoxerxe breves erimus, siquidem nullum habemus monumentum, quocum scriptores exteros componamus, nisi unum parvi momenti, idque non sine controversia ad Artaxerxem Longimanum pertinens. Quae Ctesias de hoc rege scripta reliquit percurrere parum proderit, quum plerosque sub Artaxerxe res gestas ex aliis sciamus, in his defectionis Aegyptiorum historiam ducibus Inaro et Amyrtaeo. Historiam vero defectionis Megabyzi a rege Ctesiae debemus et aliis testibus deficientibus gratiores ex illo accipimus. Meminit quoque Ctesias insurrecti Artapani, Bactriae satrapae, initio regni Artaxerxis; mox vero Bactria a rege rursus subigitur.

Aegyptios defectos memorat Thucydides, in l. I, 109, 110, et Diodorus in . XI, 71. Prioris expeditionis contra Aegyptios rebe..es dux fuit Achaemenides, seu Achaemenes secundum Diodorum l. XI, 74, qui ab Inaro cum exercitu caesus est. Quaesiverunt autem viri

docti, num hic Achaemenides fuerit idem, qui apud Herodotum vocetur Achaemenes, et qui a Xerxe Aegypto oppressae praefectus factus, postea ab Inaro occisus sit? Her. VII, 7. Certissime eundem fuisse affirmare nolumus Achaemenem Herodoteum et Achaemenidem Ctesianum vel Photianum. (Photio enim potius vel librario patronymici formam imputarem, quam Ctesiae. Achaemenides per sese ipsum non Persicum nomen, sed Patronymicum Graecum est ex nomine Persico Achaemenes (Hakhâmanish) derivatum). Eundem intelligi credideris quod Diodorus eundem vocat Achaemenem, l. c. Cf. Muller. Ctes. fragm. pag. 67. Atqui res eo obscura manet, quod Ctesias Achaemenidem suum (seu Achaemenem) non dicit fratrem Xerxis, ut facit Herodotus l. VII, 7, sed ipsius Artaxerxis. Hinc recte pro *Amytis* in § 36 legendum censere *Amestris*. Potest fieri ut revera Achaemenes praefectus Aegypto ab Inaro interfectus sit; deinde alter Achaemenes consobrinus illius adversus Inarum in proelio occubuerit.

Non agemus de Aegypto a Megabyzo recuperata, neque de defectione hujus viri, quoniam de bello Aegyptiaco cuique satis erit scriptores Graecos de ea re inter sese componere, et quoniam de defectione Megabyzi Ctesias solus est auctor, adeoque nobis copia non data est hujus narrationem cum aliorum conferre. Vid. Ctes. Pers. a § 36 usque ad § 42. Porro ipse legas a § 42 res, quae Ctesiae sunt in deliciis, sed ad historiam non pertinent. Artaxerxes obiit, postquam regnavit annos quadraginta duos, aut secundum Diod. XII, 64 quadraginta.

Inter monumenta Persica unum modo, ut supra diximus, ad Artaxerxem Longimanum referri potest. Quod invenies in Z. f. d. K. d. M. VI in tabula ultima;

exstat inscriptio in urna Venetiana, in triplici genere literarum et Hieroglyphicis conscripta. Exhibet haec verba: „Ardakhk'asda. narpa vazarka," Latine: Ardakhk'asda, rex magnus." Qua in inscriptione hoc animadversu est dignum, quod nomen Artaxerxis scribitur *Ardakhk'asda*, quum forma propria est: *Artakhshathra*, quam habet Inscript. Persepolitana P. Westergaard autem in Z. f. d. K. d. M. VI, p. 450 legit Ardakkhk'asi, aut etiam *Ardakhk'asthra*, sed ductus literae ultimae propius accedit ad signum literae *d*, quam *i* et procul dubio Benfey recte legit *Ardakhk'asda*. Cui formae consimilem cernis Hebraicum *Artachshashta*, vid. Benfey, de P. K. pag. 67. Inscriptionem autem esse Artaxerxis Longimani hinc conficitur. Artaxerxis secundi Mnemonis cogromine ea non esse potest propter signa hieroglyphica, nam eo regnante Aegyptus regi Persarum non parebat. Neque Artaxerxi tertio seu Ocho ea attribuenda est, quia illum in Inscript. P se vocantem videmus Artakhshathram, non ut in urna Ardakhk'asda. Aegypto a Megabyzo oppressa occasio Artaxerxi Longimano idonea erat, qua se etiam in Hieroglyphicis praedicaret: „Artaxerxem regem magnum."

Non abs re videtur, ut pauca dicamus de significatione nominis Artakhshathra (ea enim est genuina forma.) Ulterior pars compositionis *khshathra* apud Graecos abiit in — ξερξης, quasi esset compositum ex *arta* et *Xerxes*. Errore autem hoc factum esse liquet; Xerxes enim Persice sonat Khshjârshâ. Itaque Herodotus in errorem lapsus est, quum nomen Ξέρξης interpretatur per ἀρήϊος, verum Ἀρτοξέρξης per μέγας ἀρήϊος. VI, 98. Nomina illa nihil inter se commune habent. Quod ad sensum vocabuli Artakhshathra Herodotum non absona docuisse exi-

stimo, nam *khshathr̄a* optime significare proterit *bellatorem,* si confers Sanscriticum *xatra.* Non quidem exstat in Inscriptionibus illud *khshathr̄a* Masculini generis, nam *khshatr̄am* Neutr. generis est *regnum*, sed in lingua Sanscritica *xatra* tam usitatum est, ut sine magna dubitatione etiam Persico nomini Artakhshathr̄a eam significationem supponere liceat. Artakhshathr̄a igitur esset tamquam: „verus, germanus, egregius bellator," quod non tam multum distat ab Herodoti sententia. Lassen nomen explicat per: „ille, cujus imperium est honorificum," adeoque in compositione, quae dicitur Bahuvrîhi, quum nostro judicio est compositio Karmadâraja. Cf. Z. f. d. K. d. M. VI. pag. 161. At quid sinificet Khshjârshâ seu Khshajârshâ me nescire confiteor verum Herodoti certe sententia falsa est. In priori parte *khshaja* regnandi sensus insit necesse est, sed quid deinde cum *ârshâ* aut *arshâ?* Benfey *arshâ* componit cum Sanscr. *rshi*, et Khshajârshâ dubitanter componit cum *ra-g'arshi.* Radicem, quem in priori habemus parte reperimus in voc. *khshâjathija*, quae propter *vṛddhi* in prima syllaba primitive est Adjectivum cum sensu: *regius* a radice *khshi.* Quo autem fugiat Herodoteum ἀρήϊος? Num ille sine ullo argumento interpretationem suam scripsit? Vix credo, potius cogito, an Khshajârshâ fuerit nomen antiquum, cujus propriam vim ne Persae quidem illius aetatis sentirent, quodque ipsis Persis auctoribus, ab Herodoto male sit explicatum.

Praeter illa, quae modo disputavimus quaeque magis ad sermonis Persici studium pertinent, quam historiae prosunt, non habemus, quod super Artaxerxe annotemus. Testimonia auctorum de illo sibimet invicem componere, dum gravissimo Inscriptionum caremus testimonio, ac

non levi Herodoti, a proposito nostro abhorret. Idem quod ad Artaxerxem Longimanum ad successorum quoque valet historiam, at vero ad ordinem non interrumpendum, breviter relata referemus, quaeque nobis in Ctesia offenderit exponemus, si forte futurum sit, ut totam ejus narrationem percurrere utilitatis quid afferat ad ejusdem fidem dijudicandam.

CAPUT VII.

XERXES II. SOGDIANUS. DARIUS II.

Artaxerxes successorem reliquit Xerxem, unum ex filiorum numero legitimum. Simulac regnum occupavit insidiae ei struuntur a fratre spurio Secydiano [1]), a quo postquam dies regnavit quinque et quinquaginta, ebrius in regia dormiens trucidatur. Cadaver ejus, una cum patris reliquiis in Persas (Pasargadas?) transportavere. Socydianus, eunucho Phanacya et Menostane praecipuis adjutoribus adhibitis regno potitur ac Menostanem *azabariten* [2]) sibi creat. Bagorazus vero, qui Xerxe II

---

1) Vulgaris lectio erat Σεκυνδίανος, Bekkeri est Σεκυδίανος. Equidem legerim Σοκυδίανος. Quum enim semel irrepsisset lectio cum ε, librarii nomen in Romanum refinxerunt Secundianum. Lectioni Σοκυδίανος non obstat, quod ea paululum differt a forma *Sogdianus;* nam discrimen explicatur si considerabis, nomen populi Sogdorum in sermone Persarum tam sonare: *Sug'da*, quam *Sug'uda.*

2) De significatione vocabuli ἀξαβαρίτης non constat, neque de forma Persica. Componunt viri docti cum Hesychii: ἀζαραπάτης, haud scio an non recte. In ἀζαραπάτης ulterior profecto pars est *patish* i. e. *dominus;* altera autem pars con-

regnante primus erat in auctoritate, ob delictum quoddam, non clare definitum, supplicio datus est, cum magno exercitus dolore, apud quem Socydianus postea in gratiam redire frustra quaerebat. Arcessit Socydianus Ochum fratrém, jam tunc certo sibi suspectum, quod tamen Photius non tantis verbis exprimit. Ochus, vero, se venturum saepe pollicitus numquam venit; ad eum denique palam rebellare molientem, deficiunt Arbarius, Socydiani magister equitum, deinde Arxanes, Aegypti Satrapa et Artoxares eunuchus, ex Armenia accedens, quibus incitantibus Ochus regem se proclamat, nomenque sibi assumit Dariaeum. Deinde Socydianus, Menostanis admonitu neglecto, cum Ocho pactus, ab hoc, qui a Parysatide uxore instigabatur, contra juramenta capitur atque in favillam conjectus moritur, sex mensibus et quindecim diebus regni exactis. Diodorus historiam Xerxis II ac Socydiani his verbis comprehendit, in l. XII, 71. „In Asia Xerxes rex vitam finivit, quum regnasset annum, verum velut alii scribunt, menses duos. In regnum succedens frater ejus Sogdianus (Σογδίανος), regnavit menses septem. Quem quum interfecisset Darius regnavit annos unum de viginti."

Regnum Dariaei copiosius solito in excerpto Photii narratur; pleraeque res gestae prodeunt ex gynaeceis; mulieres, eunuchi, aulici primas agunt partes. Cum studio id genus res describit Ctesias ac de sua quibus regia utebatur morum peritia quasi glorians. Praeter dolos mulierum, audimus eum narrantem bella intestina, sup-

---

venire potest cum Sanscr. *âk'âra*, *mos*, *ratio vivendi*. Adeoque *âk'ârapatish* seu ἀζαραπάτης sensum habuisse potest: *ceremoniarum magister*. Confitemur, hanc interpretationem non quadrare ad Hesychianam, ex qua ἀζαραπάτης est εἰςαγγελεύς.

plicia in rebelles contra fas et juramenta, dissensiones domesticas. Omnia dolose, crudeliter, corrupte aguntur. Primo rebellantium meninit Ctesias Arsitae, regis fratris, atque Artyphii, filii Megabyzi. Quum ab utraqne parte aliquamdiu varia fortuna esset dimicatum, rebelles fide accepta se dederunt, sed Parysatidis, quae apud maritum maxime valebat opera supplicio immani affecti sunt. Morte quoque plectitur Pharnacyas, Socydiano olim in Xerxe interficiendo adjutor; Menostanes autem, jam captus, sibi ipse mortem conscivit.

Alteram defectionem molitur Pisuthnes, adjutus copiis Graecis sub Lycone Atheniensi. Ab hoc inde tempore frequentissime Graecos in exercitibus insurgentium videmus, ut etiam inter copias Artyphii et Arsitae. Missi adversus Pisuthnem Tisaphernes, Spithradates Parmisesque Graecos pecunia corrumpunt ac Pisuthnem, juramento interposito ad regem ducunt, qui fidei datae securus eum in favillam conjici jubet. Tisaphernes quam Pisuthes tenuerat satrapiam accepit, Lyco autem urbes regionesque proditionis mercedem. Conjurationem agitat Artoxares eunuchus, regnandi cupidus, sed detectus a Parisatide interimitur. Sequitur in excerpto vere Ctesianum quid, stupra, incestus, caedes; cuilibet inspiciendi copia est §. 53 — § 57. Aliquid autem attingere in animo est, quod Plutarchus ex Ctesia desumpsisse videtur. Arsicas, postea Artaxerxes nominatus, a parientibus impetravit, ut uxorem suam Statiram sibi servaret, quum propinqui mulieris propter facinus Terituchmae (Ctes. § 54) interempti essent. Plutarchus enim in Vita Artox. c. 2 haec scribit: Arsicas uxorem forma virtuteque egregiam duxit parentum jussu, eamque dimittere vetuit, quum Darius pater fratre mulieris occiso, etiam illam perdere statuisset. Arsicas a matre multo

cum fletu obtinuit, ut uxorem suam vivam et apud sese retineret. De nonnullis Dario regnante rebus gestis testem habemus Thucydidem. Vid. Thuc. I, 115. VIII, 5, 28. De seditione vero Arsitae atque Artyphii apud ceteros scriptores nihil legimus. De Dariaeo mortuo breviter loquitur Diodorus in l. XII, 71, quum regnasset per annos unum deviginti. At contra Photius Dariaeum morbo afflictum Babylone obiisse ait postquam regnavit per annos triginta quinque (λε'). Unde Ctesias suam computationem habet? Tam recens factum quoniam ei pernotum fuerit, numerum depravatum arbitratur Mullerus, Ctes. fragm. pag. 69, 70, cui libenter assentior.

De Dariaeo monumenta Persica nulla exstant. Antequam autem ad Artaxerxis II regnum transeamus, in animo est disputare quaedam de nominibus Dariaei filiorum, de quibus est controversia, quam dirimere ex linguae Persicae cognitione conabimur. Inter liberos Dariaei et Parysatidis, tredecim numero, a Photio nominantur Arsacas, Amestris, Cyrus, Artoste, et Oxendras; reliqui mature e vita discesserunt. Arsacas autem postea nomine mutato appellabatur Artoxerxes. Phot. exc. § 49. Aliquantum recedunt ea, quae Plutarchus habet nomina, Cyrum, Ostanem, Oxathrem et Arsicam, qui postea Artoxerxes. Haec a Dinone sumpserit, quem in vita Artaxerxis conscribenda adhibuit, vid. Vit. Artox. l. c. Unum nomen Arsicas (vel Arsacas, ut legimus apud Photium, quod discrimen non moror, etsi probat librarios parum accurate nomina descripsisse) nomen Arsicas inquam a Plutarcho ex Ctesia est desumptum, ipso testante, l. c.; apud Dinonem vero Arsicas nuncupatur *Oarses.* Quare autem Plutarchus majorem in hac re Ctesiae habeat fidem, his ostendit verbis: Ἀλλὰ τὸν Κτησίαν, εἰ καὶ τἆλλα μύθων ἀπιθάνων καὶ παραφόρων ἐμβέβληκεν

εἰς τὰ βιβλία παντοδαπὴν πυλαίαν, οὐκ εἰκός ἐστιν ἀγνοεῖν τοὔνομα τοῦ βασιλέως παρ' ᾧ διέτριβε θεραπεύων αὐτὸν κτέ. Recte quidem ille, sed quid, si et Dino et Ctesias nomen primitivum Artaxerxis optime tradiderint? Argumenta mea expromam. 'Αρσικας seu 'Αρσάκας Persice fuerit *Arshaka*, 'Οάρσης autem *Uvârsha*. Quisque sermonis Persici gnarus perspicit, nomina esse ejusdem significationis. Terminatio *ka* in Arshaka vocabuli cui postposita est sensum non mutat, nisi quod forte vim habeat Deminutivi, non necessario tamen. Si Arshaka igitur erit *honorandus, venerabilis*, Uvârsha erit *valde honorandus* [1]).

Secundus Dariaei filius, Cyrus, auctoribus Ctesia ac Plutarcho, nomen ducebat a sole. „Ὁ μὲν Κῦρος ἀπὸ Κύρου τοῦ παλαιοῦ τοὔνομα ἔσχεν, ἐκείνῳ δ' ἀπὸ τοῦ ἡλίου γενέσθαι φασί. Κῦρον γὰρ καλεῖν Πέρσας τὸν ἥλιον. Vit. Art. l. c. Cf. Ctes. § 49. De hac derivatione exquisitissime disserit Lassen, in Z. f. d. K. d. M. VI, p. 154. Addit vir ille eruditissimus Ctesiam derivationem fortasse habuisse ex ipsis Persis, quamvis sit falsa. Equidem rem mihi sic potissimum explicarem, ut apud Persas, qui aetate vivebant Ctesiae, in dialecto quadam, revera vigeret pronuntiatio *khura* pro Zendico *hvarĕ*, (Persico *hura?*), proinde atque in sermone, quo hodierni utuntur Persae, *sol* sonat *khur* [1]) Ne mireris, si ipsi Persae Ctesia vivente nomen Cyrum recte derivare nescirent, nam

---

[1]) Optime scio, significationem vocabuli *ârsha* vel *arsha* non constare, sed nihil id facit ad nostram explicationem, hoc enim probare volui, Oarsem et Arsicam idem esse nomen, leviter sensu immutato.

[2]) De literis *h* et *kh* commutatis, conferas linguae Zendicae usum; etiam Graecam formam '*Ἀράχωτος* pro Persico Harauvatish.

in Inscr. P, ab Artaxerxe III confecta, sermonem Persarum in corruptissima vides conditione.

Cetera nomina apud Plutarchum Ὀστάνης et Ὀξάθρης sunt genuina Persica, *Ustâna* videlicet et *Ukhshathra*. Apud Photium tertius filius vocatur Ὀξένδρης, Ctesias dederit Ὀξάδρης, opinor. At certe est idem atque Oxathres.

CAPUT VIII.

ARTAXERXES MNEMON. ARTAXERXES OCHUS.

Pervenimus ad eam rerum Persicarum partem, in qua medico Cnidio, nemine magnopere vituperante, sibi indulgere licet in sceleribus dolisque narrandis. Affatim enim id genus rerum Artaxerxe Mnemone regnante evenere. Tamquam testis oculatus tamen Ctesias aliquid habet auctoritatis. Ipse Xenophon, gravissimus ille historicus, scripta Ctesiana percurrisse videtur, exque iis hausisse, vid. Anab. I, 8, 26, in re sane minutissima. Et Plutarchus, cujus judicium numquam ex acerrimis habebatur, Ctesiana refert, sed opera supersedet, ut quae Ctesias scribit cum Dinonis pensitet testimonio, ac facilius esse putat, si ipsi lectori dijudicandam utramque narrationem relinquit. Non libet omnia percurrere, quae Plutarchus et ex Ctesia et ex Dinone petivit, neque Photianum describere excerptum quo historia continetur Artaxerxis II; vid. Exc. a § 58 usque ad finem.

Quae apud Photium raptim narrantur, partim fusius relata reperies in Plutarchi vita Artoxerxis, partim in

Xenophontis Anabasi. Plutarchus, uti ex collato excerpto apparet Photiano, sequitur Ctesiam in ultione narranda Parysatidis in Bagapatem, in Carem, qui Cyrum vulneraverat, ac Mitradatem, quamquam nomina aliter scribuntur atque apud Photium. Bagapates enim Ctesianus ei est Masabates, Mitradates leviore discrimine Mithridates. Scribendi ratio *Masabates* [1]) non Codicibus, sed Plutarcho imputanda erit, siquidem hoc nomen ex Dinone desumpsisse potest. Verum Mithridates pro Mitradates est ex pronuntiatione recentiorum; ad illum quoque modum apud Romanos semper scribitur nomen regis Pontici. Forma Mitradates, qua etiam utitur Herodotus, l. I, 110, propius accedit ad formam Persicam, *M'ithrădâta.*

Investigemus quaenam ex Monumentis Achaemenidarum ad Artaxerxis Mnemonis aetatem possint referri. Et duae quidem exstant Inscriptiones, M et P, quarum altera nomen exhibet Cyri, altera Artaxerxis. Illam vero, in qua leguntur haec: „Ego (sum) Cyrus, rex (vel potius princeps), Achaemenida," Lasseno praeeunte, tribuimus Cyro Minori, propter argumenta, quae invenies ad pag. 13 hujus Commentationis. Alteram autem Inscript. P, quam Benfey, nulla reddita ratione tribuit Artaxerxi Mnemoni, totam describemus, ut per sese ipsa loquatur. Latine haec dicit: „Deus magnus (est) Auramazdes, qui hanc terram creavit, qui illud coelum creavit, qui hominem creavit, qui fortunam creavit hominis, qui me Artaxerxem (Artakhshathră) regem fecit, unicum multorum regem, unicum multorum imperatorem. Edicit Artaxerxes, rex magnus, rex regum, rex regionum, rex hujus terrae. Ego (sum)

---

[1]) An in Plutarcho legebatur *Μακαβάτης*? Tum, excepta usitata literarum *b* et *m* permutatione, magis conveniret cum *Bagapates;* forma Persica est Bagapatish aut Bagapâta.

Artaxerxis regis filius, Artaxerxes (erat) Darii regis filius, Darius Artaxerxis regis filius, Artaxerxes Xerxis regis filius, Xerxes Darii regis filius, Darius Hystaspis nomine filius, Hystaspes Arsamis nomine filius, Achaemenida. Edicit Artaxerxes rex: hoc alte erectum aedificium a me pro me conditum est. Edicit Artaxerxes rex: me Auramazdes et M'ithr̆a deus servet, et hanc regionem, et quod a me conditum." Animadvertis auctorem Inscriptionis fuisse Artaxerxem tertium, cui cognomen fuit Ochus. Lassen, qui in Z. f. d. K. d. M. VI, pag. 159 sqq. Artaxerxi Mnemoni eam tribuit, errorem suum perspexit, in ejusd. lib. pag. 486.

Praeter soloecismos, quibus haec scatet Inscriptio — hoc enim ad studium sermonis Persici, non vero ad historiam pertinet — animadversu est dignum, quod Artaxerxes III aliis quibusdam utitur formulis, quam fecere praedecessores. Tituli ejus enim sunt: „Artaxerxes, rex magnus, rex regum, rex regionum, rex hujus terrae," quum in aliis, in A e. g. legimus: „Ego Xerxes, rex magnus, rex regum, rex regionum, a multis populis cultarum, rex hujus terrae magnae procul (et) prope." Eandem formulam habent C. a., C, b., D, E. E. b., F, quae cunctae sunt Xerxis, deinde N. R. et O Darii. An Artaxerxem puduisset titulos assumere, quibus Darius se ornabat ac Xerxes? Concludendum eo videtur, quod, quum tam anxie in ceteris praedecessores sequitur, aliquot tutulos omittet. Inscriptionis quoque clausula, preces continens ad deos, eo recedit a ceteris, quo praeter Auramazdes invocetur deus M'ithr̆a; in ceteris enim aut solus imploratur Auramazdes, ut in D, aut una cum diis, ut in A, C. a., C, C. b., E, E. b., aut cum diis gentiliciis, ut in H. Sed Mithra nusquam occurrit, nisi n. l., unde colligit Lassen cultum Mithrae a Xerxe I inde rege,

pedetentim invaluisse apud Persas, donec temporibus imperii Romani cultus Mithrae fuerit ex notissimis ac maxime latens. [1]).

Ad verba, quae infra attulimus Lassen citat locum ex Clem. Alex. Protr. 57, quo Artaxerxes II innovasse dicitur veterem Persarum religionem. Quod omnino confirmatur testimonio Ctesiae in Phot. exc. § 57, quo docemur, non fuisse ex more Persarum concremare cadavera, sed Artaxerxem II hujus moris rationem non habuisse.

Porro Inscriptione P nihil continetur, quod cognitioni rerum gestarum prosit. Ordo successionis partim tantum ex ea patet, nam Artaxerxes non praedecessores enumerat suos, verum majores, unde fit, ut desiderentur nomina Xerxis II ac Sogdiani. Attamen eos regnasse ex scriptoribus Graecis usque adeo constat, ut nulla controversia de iis orta sit. Nomen vero Sogdiani libenter in forma Persica adspexerim, nam dubius haereo, quamnam vim terminatio in *Sogdianus* haberet.

Cum Artaxerxe III finem imponimus rerum Persarum historiae; ab ejus inde aetate nulla monumenta regia adhuc sunt reperta, neque probabiliter reperientur, nam non multo post Artaxerxem III imperium Persicum ab Alexandro Magno est eversum, ac si corruptissimum conside-

---

[1]) Ich erwähne dieser Unstände hier nur um bemerklich zu machen, dass die Anrufung des Mithra in der Inschrift des Artaxerxes deutlich beweist, dass in der Periode zwischen Xerxes I und Artaxerxes II eine Aenderung in der Altpersischen Religion vor sich gegangen war; es tritt Mithras bedeutsamer hervor. Artaxerxes II erscheint besonders als Beförderer einer neuen Richtung der Religion, er hat zuerst Bilderdienst in die Persischen Länder eingeführt. Z. f. d. K. d. M. VI, p. 167. Haec vera manent, quamquam Inscr. P non est Artaxerxis II, sed Artaxerxis III.

ramus in Monumento Artaxerxis sermonem, nos subit persuasio, nullam Inscriptionem in vetere saltem Persarum lingua fuisse confectam. Monumenta Sassanidarum Pehlvice conscripta suos invenere interpretes. Jam breves aliquot annotationes adjiciemus ad locos Herodoteos, obiter quoque aliorum auctorum, in quibus sermo est de moribus, institutis, lingua Persarum.

CAPUT IX.

ANNOTATIONES DIVERSI GENERIS.

Non omnia, quae Herodotus super Persis scripta reliquit, ad nostram pertinent indagationem, quoniam ea praesertim, quae ad religionem spectant Persarum uberius ex libro, qui inscritibur Zend Avesta cognosci poterunt, ac cum Herodoteis conferri. Atqui eos locos Herodoti aliorumque eligere licebit, quibus res continentur aut luculenter ab Inscriptionibus Achaemenidarum confirmatae, aut aperte falsae.

Ex iis, quae Herodotus de Persarum nos docet institutis quaedam confirmari possunt ex Monumentis, plura ex Zend Avesta. Comprobantur autem, quae Herodotus, l I, 136, 138, de studio veritatis apud Persas summo testatur in Monumentis. In Col. IV. text Rawl. vs. 37 dicit Darius: „Tu, quisquis rex posthac eris, a peccato valde caveto." Peccatum, quod Persice dicitur *daruga* radicem habet *d'ur'ug'*, cum sensu tum *mentiendi* tum *peccandi*, nam proinde ac apud Persas veritas omnem comprehendit virtutem, sic quoque mendacio omnia conti-

nentur vitia. De *d'ur'ug'* vid. Benfey, d. P. K. in v. 85. Aliunde notum est Persas ab Arimane, spiritu mendacii, omnia derivare mala. Mendacium igitur tamquam unum ex pessimis malis deprecatur Darius in H. 17, sic locutus: „hanc terram Auramazdes defendet ab hoste, a sterilitate, a mendacio." Plura afferre non opus est. Si igitur Persae mendacium vehementer oderant, ab altera parte reverebantur ea elementa, quae tamquam symbola sunt puri animi, ignem scilicet et aquam. Inde Persae cadavera non comburere solebant, sed defodere, quod Herodoto innotuit, etsi imprudenter Croesum in rogum impositum ait, qua de re eum avide vituperavit Ctesias. Vid. Phot. Exc. § 75 [1]). Sin vero Herodotus ignem a Persis deum duci meminit, l. III, 16, id sic erit sumendum, ut opinione populari revera ignis pro deo haberetur. Aliud Persis numen erat secundum Herodotum *dea* Mitra, consimilis Graecorum Aphroditae, Assyriorum Mylittae. Hîc procul dubio veracissimus ille paullulum lapsus est, atque omnes ceteri inter Graecos scriptores Mitram *deum* affirmant esse, et numen quidem solis. Recte idcirco Strabo l. XV, c. 3., τιμῶσι δὲ καὶ τὸν ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθρην κτέ. Mithram deum Persis esse honoratissimum, imprimis apparet ex multis nominibus propriis, e. g. ex nomine usitatissimo: Mithradates, Persice M'ithr̆adâta, i. e., a Mitra creatus aut datus." *Mitrabates* autem ortum crediderim ex Persico M'ithr̆apâta, i. e. „a Mithr̆a servatus [2])." De deo Auramazda complures inter veteres habemus testes, inter hos Plutarchum in Vita Artox. c. 29.; Graece l. c. nomen sonat

---

1) Cf. Strabon. XV. pag. 1015.

2) *Pâta* hoc sensu nititur in Sanscritico *pâta* a verbo *pâ*, tueri.

Ὡρομάζης, at contra in Plut. Alex. c. 30, Ὡρομάσδης. Locus, quem priorem citavimus colorem habet omnino Persicum: εὐφραίνεσθε ἀπιόντες ὦ Πέρσαι καὶ λέγετε τοῖς ἄλλοις, ὅτι τοῖς ἄθεσμα καὶ παράνομα διανοηθεῖσιν ὁ μέγας Ὡρομάζης δίκην ἐπιτέθεικεν. Illud ὁ μέγας Ὡρομάζης recordat *baga vazarka Auramazdâ.* Plutarchus quoque memorat Arimanium, deum mali, in Vita Them. c. 28. Praeter hos nominatur Anaïtis dea, in Vita Artox. c. 27, quae fueritne dea vere Persica necne non compertum habeo.

Sparsim quoque apud Herodotum injectas videmus de lingua Persarum annotationes. In l. I, 139 contendit historicus noster nomina propria Persarum cuncta desinere in literam *s.* Id falsum est, feliciter vero non fallax; qui in Inscriptionum sermone versatus est, novit, quid hac de re tenendum habeamus. Illud vero Herodoti testimonium nobis est valde utilis, hac quidem de causa, quoniam ex uno illo satis superque conficitur, Herodoto ne minimum quidem super lingua Persarum innotuisse. Supra nobis nomina Xerxis et Artaxerxis tractantibus occasio erat demonstrandi, Herodoteam interpretationem esse falsam; quod autem idem l. VI, 98 nomen Darii explicat per ἑρξίης hoc propius ad veritatem accedit; vid. Z. f. d. K. d. M. VI, p. 4. Quodsi constat, Herodotum imperitum fuisse sermonis Persici, etiam ille nullo documento Persice conscripto usus sit necesse est. Attamen justitiae gratia ea quoque monstrare nobis objacet, quae Herodotus ex veritate tradidit. Non fallitur enim ille docens Medos canem vocare sermone suo σπάκα. Nam quamvis vocabulum Persicum pro cane in Monumentis non exstet, aliunde confici potest, *spaka* significasse *canem* in lingua Medica seu Persica. Fortasse minus accurate formae *spaka* Herodotus meminit; simplicius *spa* magis arrideret, sed quum in lingius Aricis

saepius terminatio *ka* usurpatur sensu paene non mutato, *spaka* frequentiore fuisse potest usu. Idcirco tamen Herodotum errasse crediderim, quia facile *spaka* abstrahere potuerit ex nomine Proprio Σπάκω, quae Persice sine dubio sonuerit *Spakâ*, litera *a* producta. In Spakâ, in nomine igitur proprio, terminatio *kâ* est maxime idonea [1]). Porro de vocabulo τύκτα, quasi dicas Graece τέλειος nihil habeo, quod dicam, nisi quod conjecto *tukta* esse Part. Perf. Pass. a verbo *tvakhsh*, adhuc in Monumentis ignoto, sed facto ex analogia cum Sanscritico *tvax*. Perinde ac Sanscritice Participium v. *vak'* est *ukta*, sic a *tvakhsh* Participio uti potuerunt *tukta*. *Tvakhsh* vim habuerit *faciendi*, *perficiendi*, igitur *tukta* fuerit *perfectus*. Eadem est sententia Benfeyi, quem vid. in d. P. K. pag. 83, in v. *thakatâ*. Deinde aliud vocabulum Persicum est ἀγγαρήϊον, quod munus indicat nuncii equitis. Her. VII, 98. Nuncius ipse dicitur ἄγγαρος, quod apud Herodotum quidem non legitur, nam ab eo nuncupatur ejusmodi nuntius ἀγγαρήϊος. Vocabulum Persicum non exstat in Mon. et originis est obscurae; maxime quidem in promptu est radix Sanscriticus *ang*, Latine *ire*; *angara* tum fuerit inde ortum cum terminatione *ra*. Conferunt Böhtlingk ac Roth cum *angara* nomen daemonum, *Angiras*. Vid. Sanscr. Wörterb. in v. *angira*. Herodoteum ὀροσάγγας, *bene meritos de rege* in l. VIII, 85 aptissime comparat Lassen cum Zendico *hvarezangh*, in Z. f. K. d. M. VI, p. 54.

Omne genus scriptores conferre nos longius moraretur, pauca autem apponemus ex Strabone, quatenus ab aliis ignota refert, aut cum aliis dissidet. In plerisque Strabo

---

[1]) Etiam in lingua Russica pro *cane* tantum exstat producta forma *sobaka*, non *sba*. Sic sane etiam in Persico sermone res se habuisse potest.

sequitur Herodotum, ut videtur, aut certe aequalem Herodoto auctorem, nam saepissime cum illo consentit, praecipue in institutis Persarum memorandis. Sed in his Strabonis parva est auctoritas, non enim opus est monitu, mores institutaque Persarum temporibus Herodoti et Strabonis esse diversissima. Affert geographus quaedam quoque ex Aristobulo et Onesicrito. Secundum Aristobulum in monumento Cyri sepulcrali hoc fuerit epigramma: *ὦ ἄνθρωπε, ἐγὼ Κῦρος εἰμι, ὁ τὴν ἀρχὴν τοῖς Πέρσαις κτησάμενος καὶ τῆς Ἀσίας βασιλεύς· μὴ οὖν φθονήσῃς μοι τοῦ μνήματος.* At secundum Onesicritum epigramma erat in Cyri monumento Graecum, Persicis literis conscriptum: *ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλήων.* Quisque in oratione Monumentorum versatus omnem fidem istorum testimoniis abjudicabit, opinor. Epigramma Aristobuli a Persa profectum esse nequit; illud enim *μὴ οὖν φθονήσῃς μοι τοῦ μνήματος* nemo nisi Graecus excogitare potuit. Deinde Darii sepulcrum Onesicritus haec verba exhibens facit: „*φίλος ἦν τοῖς φίλοις· ἱππεὺς καὶ τοξότης ἄριστος ἐγενόμην· κυνηγῶν ἐκράτουν· πάντα ποιεῖν ἐδυνάμην.*" Quot verba, tot mendacia. Inspice, si videbitur, inscriptionem Darii in sepulcro suo ad Nakshi Rustam. Unde ista petivit Onesicritus? Vehementer credo ex suo cerebro homo, etiam Arriano mendax. Vid. Arr. Anab. VI, 2, 3.

Magis nobis usui est annotatio Strabonis de Persepoli et Pasargadis. Susa inquit, est sedes regis praecipua, simul cum Persepoli et Pasargadis, ubi gaza Persis erant et monumenta. Quapropter autem Persepolis ac Pasargadae in tanto essent honore, indicant addita verba: *καὶ τὰ μνήματα ἐνταῦθα ἦν τοῖς Πέρσαις, ὡς ἐν τόποις ἐρυμνοτέροις καὶ ἅμα προγονικοῖς.* Geog. XV, c. 3. Ex compluribus autem auctoribus pernotum est, reges Persarum maximam anni partem degere Susis, Ecbatanis, et Babylone.

Vid. Athen. XII, 2, p. 513. cf. Xen. Cyr. VIII, 6, 23. Quamvis igitur brevissimam anni partem degerent Persepoli, ex multis tamen apparet, Persepolin opinione Persarum fuisse totius caput imperii, urbs quasi sancta, locus, ut Strabo exprimit, προγονικός. [1])

Prope ad Persepolin sunt sepulcra regia; satis mirum, quod in Inscriptionibus neque de Persepoli, neque de Pasargadis ulla injecta est mentio. At vero Ecbatana urbis nomen legitur, item Susae et Babylon. Ecbatana, apud Herodotum ac Ctesiam Agbatana, Persice sonat, cum solita literarum labialium permutatione, Hagamatan, vid. Col. II 76, 78, text. Rawl.; locus hodie dicitur Hamadan. Susa Persis est Uvag'a, Babylon autem Bâbir'ush. Pro Persepoli autem, quum nomen Persicum non reperiamus, suspicor nomen urbi idem fuisse quod regioni, adeoque *Parsa* fuerit nomen et Persepolis et Persidis, proinde ac Bâbir'ush est nomen terrae et urbis. Pro nostra pugnat sententia quod Persepolis est Graece compositum vocabulum, et quod Ctesias et Herodotus saepe loquuntur εἰς Πέρσας, ubi necessario subintelligere debemus Persepolin. Vid. exc. Phot. § 19 in fine, et § 44, 45, ubi cadaver regis mortui deportari dicitur εἰς Πέρσας [2]) Pasargadae autem secundum Stephanum Byzantinum significat „castra Persarum," qua de re Lassen disserit in Z. f. d. K. d. M. VI, p. 570; vir ille eruditissimus Pasargadas explicat per *Parsagadah* ex hodier-

---

[1]) Etiam apud nos discrimen est inter caput regni (hoofdstad) ac sedem regis (residentie). Cf. omnino Z. f. d. K. d. M. VI, p. 574 sqq.

[1]) Nemo, spero, mihi vitio dabit me rationem non habuisse opinionis Lasseni, ex qua Persepolis responderet Persico *Parsakarta;* constat enim vocabulum *karta* nunquam alium admittere sensum, nisi *factus*, sanscr. *krta.*

na Persarum lingua; at potius crediderim, Pasargadas numquam fuisse nomen loci, invito Stephano, verum nobilissimi tantum in Persis generis. Locus ideo ex nomine generis appellatus fuerit, quia olim fuerit sedes Pasargadarum, quorum nomen in Monumentis Persicis non occurrit. De Achaemenidis tamen quae Herodotus tradit, quam vera sint, animadvertimus, quum nostri opusculi pag. 74 stemma Darii tractaremus. Cf Her. I, 125. III, 65.

Jam, quum in praecedentibus hic illic aliud in alio quid aut veritati consentaneum aut incongruum nobis visum sit, indicavimus, in capite sequenti sententiam nostram concinnius pronuntiare instituimus, quantam cuique scriptori tribuamus auctoritatem, itaque quasi comprehendemus, quae ante sparsa per totam interjecta sunt commentationem.

CAPUT X.

EPILOGUS.

In iis, quae hucusque disputavimus, saepius locis opportunis coacti eramus scriptores de rebus Persicis Graecos vituperare aut ob credulitatem, aut ob judicium minus acriter adhibitum, aut etiam ob mendacitatem. Nunc autem non modo vituperandi, verum etiam laudandi locus est, nam boni est judicis tum bona laudare, tum perversa culpare. Itaque praecipuorum nobis auctorum, Herodoti ac Ctesiae inter sese demetiri nobis objacet fidem, quapropter indagemus, quantum historiae studium debeat Herodoto, quantum Ctesiae? Tandem universim, quam utilitatem auctoritatemque nobis habeant fontes Graeci de rebus Persicis? Quod ad Herodotum, in eo nobis primo offendit aspectu sinceritas illa quacum omnia a sese investigata communicat, nihil conscius omittens aut addens. Quae enim ille viderat et ipsi aut ex aliis audierat libere tradit et veritatis exhibendae promptissimus; ea tantum narrat, quae vera sunt aut ipsi certe vera videntur. Quum autem in re dijudicanda du-

bius haeret, ab aliis aliter tradita lectoris permittit judicio. Si igitur semper tam acri fuisset judicio, quam studiosus veritatis, pater historiae imitatores superasset suos, neque palmam concedere debuisset Thucydidi, qui si non parens historicae orationis, at certe pater historicae critices merito appellatus sit. Herodotus profecto saepius crisin desiderat, ac tam facile aliis credebat, ut nobis saepe ei non credere officio sit. Quod tamen criseos desiderium non tam originem habet ex infirmo judicio, quam ex hoc praejudicio, quod omnia, quae fiunt, sub numine divino, σὺν θεῷ gesta perspicere sibi videtur ac manum agnoscere Νεμέσεως. Laudabile licet in historico sit germano, si cuncta deducere studeat ex uno, quod res humanas movet dirigitque principio, recordari tamen opus est illud principium semper prosequi menti non licere humanae. In multis enim rebus a nobis nullus observatur ordo, nulla convenientia, verum turbae caecaque fortuna. Quapropter historico longe est tutius res explorare minutissime quidem, quam suopte ingenio ornare ac disponere. Herodotus autem eodem laborat vitio, quod nostra aetate historiographis adhaeret bonae notae, ut historiam sibi *construant*, eo vero ab aequalibus nostris distat Graecus ille, ut semper inconscius id fecerit, illi autem de industria et ratione. Sed non boni est historici τὸ ποιεῖν, verum τὸ ἱστορεῖν.

Huic autem vitio cohaeret alterum, quod Herodoto, Graeco ut erat, reges Persarum perfectam referunt imaginem (*ideam* nos diceremus) monarchi sensu Graeco; rex solus liber est imperatque, ceteri cuncti serviliter parent. Quo praejudicio, quod sane non omni caret fundamento, ductus Herodotus saepissime bona in quodam rege praetervidet, aut saltem minus extollit, quum perversa non sine studio in lucem profert. Unde factum est, ut Dario

Hystaspis filio absurdissimam istam inscriptionem ad Tearum imputaret, quas menticiam appellaremus, nisi modo sincerus ille eam retulisset. Nonnumquam quoque errat Herodotus, quoniam sermonis Persarum ignarus, documenta interna de rebus Persicis consulere non poterat. Quae ergo affert ad linguam pertinentia Persicam necessario ex interpretibus audire debuit, qui tute decipiunt aut ipsi falluntur. Et si acta Persica ipse percurrere potuisset, minus esset nisus traditionibus in ore populi vigentibus. Compertum habuisset e. g., recte nomen Magi impostoris, quoque loco iste esset interfectus. Vel sic tamen omnium plurimum debemus Herodoto in historia Persarum cognoscenda, et duntanxat judicium nobis ipsis permittatur grati omnia ab eo accipimus. Sic enim, ut Herodotus nobis res Persicas in exordiis sub Cyro, in incrementis sub Dario usque ad labefactatam Xerxe regnante civitatem proponit, ita nobis considerantibus imperii Persici historia se ostendit. Cyrus, egregius ille bellator, qui Persas suos victores Asiae dominos fecit, etiam apud nostrum omnibus iis ornatus est dotibus, quibus novi regni conditori opus est. Cambyses vero patri ingenio inferior, bellicam ab illo habuit virtutem atque populos finitimos imperio suo subigendi ardorem; non vero mite ingenium, non sapientia patris ad filiun transierat. Tertius rex Darius non tam bello et regionibus acquirendis studebat, quam ordinando et distribuende imperio jam late patenti. Fines tueri ac defendere oportuit adversus gentes rapaces, ut erant Scythae, et si quando bella a Dario ultro inferantur, ea quies dignitasque imperii poscere ei videbantur. Hinc bellum in Scythas, qui saepius fines erant vastati, etiam in Athenienses, qui dignitatem imperii laesissent. Aequales nostri dicere solent „honos imperii hoc illud postulabat." Darium au-

tem, virum strenuum regemque sapientem secutus est filius Xerxes, cui non sicut patri viam ad sedem regiam sibi munire opus erat. Non virtus bellica, non consilium in civitate regenda Xerxi obtingebant, verum qui ipse a pristina Persarum degeneravit virtute et fortitudine, Persas aeque degenerantes populosque omne genus in bello contra Graecos trahebat. Xerxis temporibus vis Persarum et vigor evanescebant; nulla regio imperio addita, a Graecis in dies plus imminebat periculi, et ipse Xerxes in gynaeceum perfugiens, contemptui est suorum, donec ab aulicis conjuratis misere interficitur. Haec ferme imago est rerum Persarum a Cyro usque ad Xerxem mortuum; ad hunc quoque modum eas descriptas cernimus apud Herodotum qui maximopere promptus est ad ostendendum, quam perniciosa Persis bella essent in Graeciam. Non vero ex Herodoto dilucide colligi potest, cui bono fuerit Asiae populis dominatio Persarum, nam Persas sibi semper proponit Graecis, i. e. Europaeis oppositos, et non cogitat, quem in populos subactos effectum Persae exercuerint. Sed dominationem eorum non fuisse asperam, libenter credimus; clementer agunt cum filiis regum rebellantium, Her. III, 15; facile adsciscunt mores externos, Her. I, 135; et si cum hisce componemus, quam clementer rebelles, in his Iones tractentur, nos subit persuasio, quod jugum ab iis impositum fuerit leve pro illius ratione aetatis.

In universum igitur historicus noster vera de rebus Persicis memoriae prodidit, et, si in minutioribus est lapsus, aliquid ei accidit humani. Ex monumentis Achaemenidarum luce clarius prodit Herodotum plura minoris etiam momenti, e. g. stemma Darii, diligenter explorasse, et, si fidem in nonnullis ei abjudicare censuimus, veluti in narrata morte Cyri, non ei soli id vitio damus,

sed ipsis Persis, qui fabulas ex aetate heroica confuderunt cum rebus tempore gestis historico. Quam autem attigimus historiam Babylonis a Dario expugnatae, eam usque adeo veram esse negavimus ut Babyloniorum Dario rege *primam* saltem defectionem non per Zopyri dolum oppressam duxerimus. Hoc loco proposito nostro non alienum videtur, ut pauca disseramus de sententia, ex qua Nad'itabira, Babyloniis defectionis auctor, nomen usurparit Cyri, quippe qui idem sit ac Nebucadnezar. Colligitur ex Inscr. Behist. Nad'itabïram, auctorem defectionis se finxisse Nabuk'ŭdrak'aram, filium Nabunitae. Deinde autem Nabuk'udrak'ara idem est ac Cyrus. Sed, quum Nebucadnezar (Nabuk'ŭdrak'ara) sit Cyrus, sequitur Cyrum fuisse aequalem Dario Hystaspis, et ita quidem aequalem, ut Babylonii, Dario *regnante*, a Nad'itabira decipi potuerint, quasi ille esset vetus Cyrus. Nonne, quaeso, hoc est quam maxime improbabile? Quae nostra sit hac de re sententia apponemus.

Nabunita, ab Herodoto dictus Labynetus, L. I, 188, ultimus fuit rex Babylonis; eo enim regnante Cyrus urbem occupavit, dum incolae in festis erant immersi. Cyro vivente Babylon fracta rebellare non audebat, sed per diuturnam Cambysis in Aegypto absentiam et quod secutum est turbidum Magi interregnum, Babylonii audaciores facti desciscere parabant. Babylonius quidam, Nad'itabira nomine, nomen usurpabat filii Labyneti seu Nabunitae; hic autem filius seu mortuus, seu apud Persas captivus (nam filius quis revera Nabunitae fuisse videtur) hic filius ergo nomen habuit Nebucadnezarem (Nebuk'ŭdrak'aram), ex nomine alicujus majorum apud Babylonios celeberrimo. Quo igitur falso titulo Nad'itabira animos Babyloniorum sibi concilians, eoque fretus contra Darium insurrexit. Quum vero postea Darius

urbem expugnasset, impostor iste dux defectionis, morte plectebatur. Nonne haec explicatio se cuique ex natura rei se offert? Crediderim. Ut jam demonstravimus, Herodotus nihil audivit de Nab'ukadrak'ara menticio isto; neque de Nebucadnezare antiquo usquam ille loquitur. Non mirum foret, si Herodotus Nebucadnezarem ne quidem noverit; neque Herodotus reges Assyrios enumerat neque fortasse noverat a Nino ad Sardanapalum. Obiter aliquid annotabo ad derivationem nominis *Artasuras*, ex qua esset tamquam *magnus Syrus;* quae derivatio, a quodam proposita, mihi ex scientia sermonis Persici falsa videtur. Priore enim loco *arta* numquam significare potest *magnus*, quod Persice sonat *vazarka*. Persicum autem *arta* respondet Sanscrit. *ṛta*, i. e. *verus;* quum autem in veritate et apud Indos et apud Persas summa posita est virtus, ita ut *verus* idem valeat quod *probus*, *arta* poni potest sensu *probi*, *egregii* [1]). Altera compositi verbi pars *suras* est Persicum *zura*, exstans in composito *zurakara*. *Zura* autem convenit cum Sanscrit. *g'vara*, i. e. *labor*, *molestia*, deinde cum Zendico *zâvare* i. e. *vis, violentia*. Ἀρτασύρας igitur, Persice *Artazura*, propemodum exprimit in compositione Bahûvrîhi: „*egregias vires habens.*" Cf. Graeca nomina propria Εὐρυσθένης, Μεγασθένης cett.

Redeamus ad Herodotum, cujus honori qui ei merito contingit, non obtrectari volumus, etsi hic illic historico gravissimo obloquimur munere nostro fungentes. Inde repetere libet, quae alio loco diximus, Herodotum non vera tradidisse de caede Smerdis, quod attinet ad

1) In sermone quidem Sanscritico mihi non innotuit *ṛta* sensu *probi*, sed satis erit indicare vocabulum *sat*, i. e. *verus* et *probus*, unde *satí*, *mulier proba*, *casta*.

tempus, quo facinus perpetratum sit. In Col. I, 29 sqq. enim distincte dicitur Cambyses fratrem Smerdin prius interemisse, quam in Aegyptum sit profectus. „Quum Cambyses Smerdin occidisset, in imperium qui successor foret defuit, quia Smerdis occisus erat. *Deinde* (pasâva) Cambyses in Aegyptum tetendit." Plura addere supervacaneum ad demonstrandum Herodotum hac in re errasse. Neque hac sola vice lapsus est pater historiae, sed veluti singulatim ostendimus, saepius. Sed egregia plura numero sunt quam falsa, et plerumque falsa *aperte* falsa sunt, itaque damnum non afferunt. Exemplo sint haec ab illo prodita:

Medi, si illi credas, nomen ducunt a Medea, antea vero vocabantur Arii. Quam fabulosa et nugatoria sunt illa, quam vera haecce et alicunde confirmata. Libenter illi nugas super Medea condonamus, quum eidem summi notitiam debeamus momenti, Medos proprie appellatos esse Arios. Splendide Herodoti testimonium hodie est confirmatum tum ex antiquitate Indorum tum ex Achaemenidarum monumentis[1]) tum ex traditione inter Persas nostrae aetatis. Namque Arii (Arjâs) nomen commune est Persis, Medis, Bactris, Indis, qui universim se nuncupabant populum Aricum seu ex pronuntiatione hodierna, Iranicum. Iran est nomen, quod incolae regni Persici hodierni indunt regionibus apud antiquos Ariana nuncupatis. Optimo tamen documento est linguarum arctissima cognatio.

Herodoti igitur de Persarum historia meritis expositis, dijudicandum erit, quid alteri fonti praecipuo Ctesiae debeamus. Quid antiqui de Ctesia senserint, patet ex

---

[1]) Vid. Inscr. N. R. 14.

Plutarcho, in vita Artox. passim; ex Luciano in Quom. hist. conscr. c. 39; ex Strabone XI, p. 774. Ab omnibus, videbis, fere culpatur, verum vituperatio plerumque magis ad ejus spectant Indica, quam ad Persica, et si complures eum mendacitatis accusarunt, non minus Herodotum criminantur et in eodem numero, quo Ctesiam habent. Strabo l. c. Ῥᾴδιον, inquit, ἄν τις Ἡσιόδῳ καὶ Ὁμήρῳ πιστεύσειεν ἡρωολογοῦσι καὶ τοῖς τραγικοῖς ποιηταῖς ἢ Κτησίᾳ καὶ Ἡροδότῳ καὶ Ἑλλανίκῳ καὶ ἄλλοις τοιούτοις. Quo autem jure Strabo ita in illos, nullo discrimine facto, invehatur, ipse respondeat; pro ipsius vero Strabonis crisi eum inspicere sufficit omnibus, quibus populorum nomina explicat componitque locis; vid. Strab. X, p. 457, ubi contendit Sintos, Saïos et Sapas unum idemque esse nomen. Egregius sane criticus ille Herodoti. Plutarchus autem, alias omnino non ex criticis acerrimis, Ctesiam mihi rectissime judicasse videtur. Ctesias hoc laborabat vitio, ut magis studeret narrationem conscribere jucundam inauditisque plenam, quam imperii historiam Persici, ratione ceterorum populorum rerum habita. Idem is fecit constanter, quod Herodotus interdum nostra fecit opinione, ἐποίει, non ἱστόρει. Quod indicat Plutarchus in Vit. Art. c. 6, dicens: οἷα πάσχει πολλάκις ὁ λόγος αὐτοῦ (Ctesiae πρὸς τὸ μυθῶδες καὶ δραματικὸν ἐκτρεπόμενος τῆς ἀληθείας. Eodem spectant verba Demetrii Phalerei in de Elocut. § 221: καὶ ὅλως δὲ ὁ ποιητὴς οὗτος (Ctesias) ποιητὴν γὰρ αὐτὸν ἂν καλοίη τις εἰκότως, ἐναργείας δημιουργός ἐστιν ἐν τῇ γραφῇ συμπάσῃ. Haec quidem vera sunt, sed quodammodo quoque ad Herodotum valent, nisi sic utrumque distinguere voles scriptorem, ut Herodotus inconscius et in errorem ductus tragica exhiberet, Ctesias vero conscius ac placendi commotus studio. Praeter vitium quod diximus, Ctesias

affectus erat altero, cujus Herodotus et propter suum ingenium et propter aetatem, qua vixit, erat alienus. Quo vitio, ab antiquis, quod sciam, non animadverso factum est, medicum Artaxerxis omnia demetiri ac dijudicare ex depravatis in sua aetate Persarum moribus. Hinc ad fastidium usque nobis ubique offendunt aulici, eunuchi, mulierculae; apud ipsum Cyrum Magnum magnas istuc genus homines agunt partes; per istos omnia aguntur ac geruntur. Apud Cyrum Petesacas, apud Cambysem Izabates, Bagapates et Artasyras, apud Darium Hystaspis iidem Artasyras et Bagapates sunt acceptissimi. Non opus est ostendere, arbitror, quantopere haec a rei absint natura; at vero Herodoto, Graeco non diu post bellum Medicum primum nato eunuchi et aulici non digni visi sunt, qui commemorentur, neque umquam fortasse audivit de istis hominibus apud Cyrum, virum fortissimum et conditorem novi imperii, neque apud Darium regem sapientem, tantopere pollentibus auctoritate. Apud Xerxem autem δεσπότην effeminatum, res se aliter habuit, atque ab eo imperante non viri, verum mulieres, et viri mulieres facti in scenam prodeunt. At, inquiunt, quae Herodoto innota erant, hausit Ctesias ex membranis Persicis, quas vocat τὰς βασιλικὰς διφθερᾶς Diodorus l. II, c. 32; in quibus res antiquas descriptas habebant Persae, quas, ut ipse professus est, indagavit Ctesias. Quaenam αἱ βασιλικαὶ διφθεραῖ essent nescimus, verum hoc certissimum est, Ctesiam aut multa perverse vidisse, aut mentitum esse, aut illa membrana omnino decedere ab Inscriptionibus Achaemenidarum. Exemplo sint enumerati septem contra Magum conjurati apud Ctesiam. Nomina enim Ctesiana non omnia conveniunt cum Inscr. Behist., Herodotea contra omnia, quoad per depravatum eo loco textum videre licet; unde adeo nomina sua ha-

buit Ctesias? Nomina in actis regiis non alia fuerint, quam quae legimus in Inscr. Darii; ergo, si iis usus sit, male usus est, et tunc nihil nobis prodest cognitio, quam Ctesias illorum habuit membranorum. Dubitarem autem, num omnino documenta illa consuluerit Cnidius; nam ejusmodi errores, quales apud eum invenimus, non hominis sunt, qui ea ipse inspexit, quanto minus deligenter investigavit. Ctesiae, existimo, acta illa intellectu erant difficiliora, nam lingua Persica tempore Artaxerxis II, non multum igitur ante Artaxerxem III jam usque adeo corrupta esset necesse est, quod concludendum est ex Inscr. P, ut Persis illiteratis, eo magis peregrino interpretatio esset difficilis. [1]). Utut est, Ctesiae, etiamsi non tam sincerus fuerit, neque tanta fiducia dignus, quam Herodotus, nonnulla debemus, quae apud hunc frustra quaerimus. De Cyro veri similiora tradit, quam fecit Herodotus, quod complures, in his Dahlmannus ac Baehrius jamdudum agnoverunt. Id laudis Ctesiae concessum dignitati Herodoti non offendet, nam

πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

Nullo quoque modo dubitandum est, quin Herodotus Ctesiae longe excellat. Nam ille etsi aliquot laborabat vitiis persuasum sibi habebat, omnia quae fiunt continuo secum cohaerere, ac siquidem id principium est historico necesssarium, jure ille appellari potest „parens historiae." Ctesias vero omni carebat principio ac ratione adeoque narrator quum rerum tum fabularum Graecis ignotarum est, sed quid munus sit genuini historici parum perspexit. Itaque solus Herodotus nobis respondere potest percontantibus, quanti momenti nobis historia imperii sit Persici quemque locum in historia gentium teneant Persae.

---

[1]) Cf. quod Ctesias interpretatus est nomen Cyri per *sol.*

Pauca denique de ceteris rerum Persicarum scriptoribus. Ex iis, quae in nostro indagavimus opusculo prodit — quod saltem spero — ceteros praeter Herodotum Ctesiamque auctores minoris esse pretii, quia ex aliis sua petunt aut obiter tantummodo de Persis agunt. Atqui nequisquam eorum est despiciendus, quum ex fontibus nobis ignotis eos hausisse fieri possit. Huc pertinet Justinus testans Mago nomen fuisse Comatis, quod cum Gaumâta concinit in Monumentis Darii. Sic Xenophonti nonnullas sparsas debemus notitias aut confirmatam ab eo aliorum narrationem; sic deinde Diodoro, sic Plutarcho, sic Arriano aliquid debemus, sed Herodotus ac Ctesias semper erunt testes de Persis inter exteros praecipui, quum ab altera parte ad hunc usque diem primum, quin unicum locum obtinent monumenta Achaemenidarum. Sperant quidem omnes fore, ut plura ex illis temporibus documenta Persica aliquando detegantur, verum adhuc spes nos fefellit, et quae ad alia loca reperta sunt monumenta interpretem omnino desiderant. In Inscriptionibus autem Persicis propitia duxit fortuna. Utinam eadem in monumentis Niniviticis faveat curiosis! Id certe ex his detectis profecimus, quod in dies plures ad Inscriptionum in universum incitantur indagationem; quo autem plurium in ejusmodi rebus versatur diligentia, eo major est fiducia, ut aliquando conjunctis viribus et historiae et philogiae Asiaticae promoveatur studium. Si hocce opusculum ad cognoscenda Monumenta Persica eorumque ad pretium aestimandum aliquantum profuisse cuidam videbitur, me felicem praedicabo.

THESES.

I.

In Xenoph. Rep. Ath. I. § 2, πολὺ μᾶλλον ἢ οἱ πολῖται, corrige ἢ οἱ πλούσιοι.

II.

Ibid. § 3. ὁπόσαι μὲν σωτηρίαι φέρουσι τῶν ἀρχῶν χρησταὶ οὖσαι καὶ μὴ χρησταὶ [ἢ] κίνδυνον, dele ἤ.

III.

Ibid. § 9. ἀπὸ τούτων — ἂν ὁ δῆμος εἰς δουλείαν καταπέσοι, legendum est ὑπὸ τούτων.

IV.

Ibid. § 13. τοὺς τὴν μουσικὴν ἐπιτηδεύοντας καταλέλυκεν ὁ δῆμος νομίζων τοῦτο οὐ καλὸν εἶναι γνοὺς ὅτι οὐ δυνατὸς ταῦτά ἐστιν ἐπιτηδεύειν. Emendes οὐ νομίζων τοῦτο οὐ καλὸν εἶναι, γνοὺς δ' ὅτι κτέ.

V.

Ibid. § 20. οἱ δ' ἐντεῦθεν ἐπὶ τριήρη κατέστησαν, rescribe μετέστησαν.

VI.

Ibid. II, § 17. ἂν μέν τι κακὸν ἀναβαίνῃ ἀφ' ὧν ὁ δῆμος ἐβούλευσεν, restituas ἀναβλάστῃ.

VII.

Ibid. III. § 5. διὰ χρόνου δὲ διαδικάσαι δεῖ στρατείας. Requiritur ἀστρατείας.

VIII.

Thucyd. II, c. 39. οὔτε γὰρ Λακεδαιμόνιοι καθ' ἑκάστους, μετὰ πάντων δὲ ἐς τὴν γῆν ἡμῶν στρατεύουσιν. Legas καθ' ἑαυτούς.

IX.

Ibid. c. 63. ὧν ἐν τῇ ἀρχῇ ἀπήχθεσθε. Postulatur perfectum ἀπήχθησθε.

X.

Ibid. III. c. 30. *τὸ καινὸν τοῦ πολέμου.* Verum est *τὸ κενόν.*

XI.

In Longini *περὶ ὕψους* IV, 4, ex Xenophonte afferuntur: *αἰδημονεστέρους δ' ἂν αὐτοὺς ἡγήσαιο καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς παρθένων.* Xenophon scripserat non *ὀφθαλμοῖς* sed *θαλάμοις.*

XII.

Apud Diodorum Sic. XV, 78 pro *ναυσὶ διαπληροῦντας* emerendetur *ναῦς ἰδίᾳ πληροῦντας.*

XIII.

Ctes. Pers. § 23. *Δημάρατος δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος παρένετο ἤδη πρῶτον καὶ συνῆν κτέ.* Sic legendum: *Λακεδαιμόνιος ὃς παρεγένετο ἤδη πρότερον συνῆν κτέ.*

XIV.

Ibid. § 44. Nomen regis Persici *Σεκυνδίανος*, quod Bekkerus legit *Σεκυδίανος*, sonuit *Σοκυδίανος.*

XV.

Aristoph. Pac. vs. 542.

ἁπαξάπασαι καὶ κυάθοις προσκείμεναι

Requiritur *κυάθους.*

XVI.

Jul. Misop. p. 338. εἶναι γὰρ συμβαίνει τοῖς φαύλοις τὴν μουσικὴν λυπηροῖς μὲν τοῖς θεάτροις φύσει δ' αὐτοῖς ἡδίστοις. Reponas σφίσι δ' αὐτοῖς.

XVII.

Oraculum, quod in Aeschinis Ctesiphontea § 112 affertur:
Οὐ πρὶν τῆσδε πόληος ἐρείψετε πύργον ἑλόντες etc.
inepte translatum est ex Pausaniae Phocicis X, 37, § 7.

XVIII.

Plutarch. Artox. c. 18 in fine, interpretamentum est ἡ τῆς Ἀσπασίας ἀφαίρεσις.

XIX.

Ex grammatica, comparativa quae dicitur probari potest formam Imperat. 3 pers. Plur. in — ωσαν non esse vere Graecam.

XX.

Improbanda est ratio eorum, qui obsoletis flexionibus locutionibusque usi sermonem Belgicum hodiernum ad conditionem pristinam revocare conantur.

XXI.

Praeceptum in grammatica Belgica, ex quo Pronomen possessivum, si possessor est Plur. Num. et Masc. gene-

ris, debet esse *hun*, sin vero est Plur. Num. et Femin. generis *haar*, nullo firmo nititur argumento.

XXII.

Pronominibus possessivis *hun* et *haar* flexio non est necessaria.

XXIII.

Rectissime a nonnullis Accus. Plur. pronominis 3ae pers. scribitur *ze*, non *hen*, si ἐγκλιτικῶς ponitur.

XXIV.

Falsa est sententia Clarissimi T. ROORDA putantis flexionem in sermone vernaculo derivatam esse ex lingua, quae dicitur *Hoog-duitsch*. Vid. *over het onderscheid tusschen spreektaal* etc. passim.

XXV.

Errant qui pronomen personale *U*, quo utimur urbane aliquem compellantes, habeant pro casu obliquo pronominis *gij*. Neque scribendum est *U*, verum *Uw*.

XXVI.

Forma pluralis numeri in sermone Belgico in *s* fluxit ex lingua Saxonica, non vero ex Franco-Gallica.

XXVII.

Non sine damno orationis plerique scriptores nostrates Inclinationis nullam habent rationem.

XXVIII.

Vocabula, quae vir Celeberrimus HOLTZMANN enumerat in libro, cui inscribitur *Kelten und Germanen* a pag. 90—120, non probant Germanos et Gallos pertinuisse ad unam *familiam* inter populos Indo-Germanicos.

XXIX.

Inter scriptores antiquos Tacitus res Germanicas unus omnium optime callet.

In

in
90
un

om



TYPIS H.

E BREUI